

**Petri Castelli Romani Chrysopos, cujus nomina, essentia, usus, & dosis  
facili methodo traduntur : Quem sequitur: Problema de lacte in virginibus,  
experimentis, auctoritatibus, & rationibus explanatum.**

### **Contributors**

Castelli, Pietro, -approximately 1657.

### **Publication/Creation**

Messanae : Typis Rever. Camerae Archiep., apud viduam Joannis Francisci Bianco, 1638.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/u92wcnea>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

16 77  
PETRI CASTELLI ROMANI

Philosophi, ac Medici

CHRYSOPOS.

Cuius nomina, essentia, usus, & dosis facili Methodo traduntur.

*Quem Sequitur.*

PROBLEMA

DE LACTE IN VIRGINIBVS


Experimentis, Auctoritatibus, & Rationibus,  
Explanatum.



MESSANÆ.

Typis Reuer. Cameræ Archiep. Apud Viduam Ioannis Francisci Bianco.  
*Superiorum permissu.* 1638.

BRITISH MUSEUM  
SALE DUPLICATE  
I 7 8 7



# A V C T I O R E S

## IN HOC OPVSCVLO

### CITATI.

**A**ndreas Chioccus. in Musæo Calceolariano.

Andreas Hildebrandt. cum Epist. Horstij.

Andreas Libavius in Cista Medica Hornungi.

Carolus Clusius. exoticorum.

Caspar Bauhinus.

Georgius Fabricius.

Gregorius Horstius. Epist. med. sec. ix.

Io. Colle in Meth. med. parandi.

Io. Ernestus Burgravius. in Achille rediuiuo.

Io. Hartman.

Ludouicus Septalius. apud And. Chioccum.

Mauricius Scruterus. apud Reudenium.

Nicolaus Monardes. Hist. Simpl.

Næuius. apud Burgravium.

Petrus Ioannes Faber. in Myrothecio.

Philippus Hecstetterus. in Obseruat. & scholijs.

Michael Reudenius in Epist. & in Apologia.

Raimundus Mindererus.



# I N D E X

## CAPIT VVM.

P	Ræfatio.	Pagg.	I
	De Nomine.	c. 1.	2
	Quid fit Chryfopos.	c. 2.	3
	Descriptio Chryfopi, & ortus.	c. 3.	16
	De Facultatibus Chryfopi.	c. 4.	18
	Quos humores educat.	c. 5.	20
	Quæ pars vacuetur.	c. 6.	22
	Qui morbi curentur.	c. 7.	22
	Quæ nocumenta pariat.	c. 8.	26
	Correctio.	c. 9.	29
	Dosis.	c. 10.	35

## E R R A T A.

**L**euiora, quæ ad Orthographiam pertinent lector benignus excuset: hæc vero ante quam libellum censura afficiat, nos etiam corrigenda nouisse, sciat.

P. 4. l. 33. deridendæ. p. 7. l. 9. Monardes. p. eadem. l. 32. affirmavit. p. 9. l. vltima. Vinearum. p. 3. l. 7. totum. & l. 8. fortium. p. 14. l. 14. insipidum. p. 15. l. 25. succum. p. 17. l. 2. dele. ad. p. eadem. l. 20. eius. l. 21. alter. l. 22. alter. p. 18. l. 19. deferri. p. 19. l. 2. primo. p. 20. l. 6. principio. p. eadem. l. 22. educat. p. 21. l. 3. cacochymiam. l. penult. accidens. p. 22. l. 11. educere. p. 27. l. 13. borborigmatum. l. 26. Nobili. p. 29. l. 11. deliquio. l. 12. die. p. 32. l. 8. gut. p. 33. l. 15. agitentur. l. 16. addantur. p. 35. l. 31. in.



Per Illustri Domino .

**D. FRANCISCO  
MARQVETTO**

**VTRIVSQUE IVRIS DOCTORI  
Patriæ Nobilitatis Viro Generosissimo.**

**A C PRIMARVM  
APPELLATIONVM**

**I N R E G I A C V R I A**  
*Iudici Integerrimo.*

**PETRVS CASTELLVS  
ROMANVS.**

**M**ERITO mihi ingrati notas ani-  
mi in urendas centerem ( Vir Per-  
Illustris ) ni vel publico , æter-  
numque duraturo testimonio maxima , à



tua

tua humanitate fuisse in me collata benefi-  
cia proderem . Tu sanè vbi primum ad  
hanc vestram Urbem, Siciliae Caput, ap-  
puli, mei aduenæ patrocinium benignissi-  
mè suscepisti, meamque existimationem  
inuidorum pestifero afflatu iactatam fovi-  
sti, fortiterque tutatus es. Quid igitur à  
me tibi deberi inficiasibo? Quantus quan-  
tus sum, totus beneficentiæ tuæ semper  
devotissimus ero . En interim Opellam  
hanc lucem aspicientem . Oh felicem lucu-  
brationem, cuius frontispicium tuo nomi-  
ne exornatum Orbis videbit, nonnemo in-  
uidebit! Haud hic locus tuarum, nec api-  
ces laudum proponendi . Alij namq; sibi  
onus assument. ad tuæ prolapix domi, fo-  
risque præclarissimos Heroes summis en-  
comijs commendandum . Mihi sat, super-  
que te Don Thoma Optimo huius Urbis  
pluries Senatore prognatum asserere . Dum  
id vnum enuatio, nihil maius proferri pos-  
se apertissimè prædico . Quid si ex maio-  
rum præconijs ad tua gradum facere lu-  
beat, & ingenij acumen, & melliflua facun-  
dia morum suauitati coniuncta laudibus

efferenda te exhibent . Quibus protesto fa-  
ctum est, vt te prius Regiæ Melfanensis Cu-  
riæ Iudicem, quam ex ephæbis egressum vi-  
deremus . Nouum id quippe fuit, vt & sine  
exemplo, te ea ætate muneris illius dignitate,  
summa solertia, integritate, omniumq; incre-  
dibili voluptate lustrauisse . Idemque postea  
dum Fiscum ageres iterato cuncti prospexe-  
runt, atq; deinceps ( Deo dante ) in aliorum  
magistratuum functionibus iucundissimè  
prospicient . At quorsum hæc ? Inuitus in  
Oceanum abripior tuarum laudum . Sisto  
itaque calamum . Et quod ad rem facit,  
( Vir præclarissimè ) Opusculum hoc me-  
um, immo dixerim tuum, qua solitus es  
animi promptitudine, accipe, foue . Vale .  
&c.





# PETRI CASTELLI

## ROMANI.

Theoricæ Medicinæ in Messanenſi Gymnaſio primarij Profeſſoris.

CHRYSOPOS.



**H**AVD temerè Medicamenta noua in vſum trahenda eſſe, cuiſibet conſtare arbitror: ſed vſitatis, atque iam pridem, notis vti, præſtare, itidem cenſeo: non tamen ea deſpicienda eſſe aio, ſi ratione, auctoritatibus, & fœlicibus experimentis comprobata fuerint. id circo, quum quoddam pharmaci genus, de quo mox acturus ſum, huius vrbiſ Medicis, atque pharmacopœis omnino nouum, ac ignotum fuerit: cuius copiam, contigit, vt nauta quidam, Belga Pharmacopœo noſtro emendam obtulerit. qui rem nouam admiratus me, an ſibi emendam ducerem, conſulit. tunc ego, qui Medicamento aliàs pluries, tum Romæ, tum Neapoli, vſus fui. illud laudaui, & vt ſibi compararet hortatus ſum. At cum deinde huius medicamenti ope aliquot Hydropicos in hac Nobili Vrbe mirabiliter a me ſanatos Medici amici vidiffent, vt quid de ipſo ſentirem, ipſis cognitum facere, vellem, efflagitauerunt, quibus, vt rem gratâ facerem, hæc pauca prodere, coactus ſum. vnde nomina diuerſa, eſſentiam, & vſum, prout ex varijs auctoribus colligere, & meis experimentis comprobare licuit, huc congeſſi; non quidem, vt Meſſanenſibus tantum doctiſſimis, erudiſſimis, & doctrina, ac ſimplicium cognitione clariſſimis,

*Occasio  
scriben-  
di.*

qui hæc flocci facient, sed vt omnibus Siculis, immo Italis cunctis adiumento hæc essent; sic in posterum, non amplius ignotum, sed notissimum Medicamentum erit.

*De Nomine . cap. I.*

**N**ominum Chaos huic inest Medicamento *Gutta Gummi* appellant plurimi, vel vice versa *Gummi Gutta*. a quibus nominibus deformatis, & balbis, varis, Gibbis, claudis, edentulis, enasibus, vel monoculis redditis, informium emerfit nomenclaturarum plurimarum inepta turba. vti est *Gummi gotta*, apud Bauhinum: volunt .n. esse *Gummi* valens ad guttā, seu gottam. at deformius est nomen Reudenij *Gummi Gitta*. Placet Hechstettero appellatio *Ghitta iemou*, quia gallicum i. in sono g. pronunciatur; vnde facile prodire potuit. *Gitta gummi*. sed deceptus non parum, deriuatum cum primitiuo vertens. nec enim Galli primi fuere huius medicaminis delatores, & denominatores, sed ij, qui *Gummi* ad Guttam Monardes esse, sunt interpretati. Hinc etiam quia gutta pedes; & crura afficere solet, quæ Gambas Barbarolatini dicunt *Guttam Gambæ*. Georg. Fabricius, & P. I. Faber nuncuparunt. & ab hoc postea corrupto amplius sermone ortam vocem *Gutta genu*, quæ est apud Ioa. Ernestum Burgrauum in Achille rediuuiuo. & Horstium respondentem Epistolæ Hildebran. *Gemou* scripsit Georg. Fabricius. *Gemau* Bauhinus. *Guttam Gamu* Libauius in Cista medica Hornungi Epist. 59. Hinc Næuius apud Burgrauum *Gorbagemi*, & *Gitthaie-mu*, vulgo *Catagauma* appellari est auctor. Hartman vero disp. 9. *Gummi Chattha iemu*. At Clusius, vt refert lib. 4. exot. cap. 8. nomine *Ghittaiemeu* habuit. quod nomen recipit etiā A. Chioccus in Museo calceolariano. Colle autem non parum barbarè *Gumnam indicam* *Guuol* vocitauit. fortè corrupto nomine a *gummi de*

nomina  
plurima.

Goa, quod extat apud Reudenium; ideo quia à Iesuitis Goa Indiæ orientalis Augustam missum fuit. præterea vocat etiam *Gummi Gamandra*, vt *Guttam Gamandram*. Mindererus in Aloedario, atque Antidotario Augustano, nec non Horstius. Nec satis sed *Gummi de Peru* Reudenius, & *gummi purgans Peruvianum*, Andreas Hildebrant. in Epist. ad Greg. Horstium dicere maluerunt. nec pauci, vt refert Bauhinus *Succum Gambici*, vel *Crambici* esse meminerunt. tandem Libauius se *Scammonium orientale* vocare solitum edixit. potius placeret *Aloes non amari* succum vocare, vt visum fuit Aloes species Clusio: sed Reudenius voluit suum inscribere libellum. *De nouo gummi purgante*: mihi horum nominum sitisfacit nullum. negabo, vt mox audies, esse gummi, esse succum. negabo, esse nouum, negabo pariter esse Monardes gummi ad podagram, nec scammonij, vel Aloes nomenclaturam recipiam, quum plurimum differant. sed tum communiori nomine appellabo *Gutta Gummi*. tum magis proprium indam, a colore nimirum nullis alijs communi, qui croceus admodum, aureusque est huic maximè medicamento, & a substantia, vt mox demonstrabo, est enim ὀπρος, non succus, nec Gummi, nec Resina. & *Chrysopon* dicam. i. aureum succum.

Nomina  
impro-  
pria. ¶

Nomen  
propriū.

*Quid sit Chrysopos. cap. 2.*

**Q**uid autem re vera sit, maximè arduum est definire, enimvero quum nemo testis oculatus sermonem de Kryfopo hoc instituat, quilibet, prout sua quemq; rapit lubido, effatur. proinde, fuere, qui *Resinam* esse censerent, ridiculum profectò, cum aqua liquetur, nec igne fundatur, recte igitur hos refellit Clusius. sed *succum* potius vocandum censeret, cui equidem haud subscribam confundere enim videtur ὀπρος, & χύλον, namque *Chylus* extrahitur planta contusa, vti Meconium, vel

an sit Re-  
sina.

an succ⁹

an Opos.

esse lac.

Falsa o-  
piniocuius  
plantæ  
lac,

decoctione, vt Acacia; Glycirrhizæ succus; Opos verò, quod lac non incongruè latinè dixerim, incisa planta per se destillat, vt Opium, Opobalsamum, Opoponacum, Opos Cyrenaicum, & similia: ita Diosc. de Mandragora, & de Peucedano testatum voluit, efficaciorē τὸ χυλὸν ὁδὸς esse, aduertendum tamen, consulo, duplicem esse δρόμον aqueum, vt Papaueris, & melleum, seu resinaceum, vt Opobalsamum. Equidem inducor, vt credam, hoc guttæ gummi esse lac aqueum, vt Aloe, papaueris opium, scammonium, Tytimalli lac, & similia. namque eos, qui gummi speciem esse rati sunt, deceptos manifeste fuisse, reor ego, cum hos ipsa forma redarguat palam. desertur .n. non τὸ δάκρυον, seu lacrimæ forma, vt quodlibet aliud κόμμι; sed in magna massa Homogenea, densa, & colore uniformiter uniformi prædita. quò clarè patet, non nisi Opisma esse concretum, & condensatum, vt Aloe est. Hinc fuit, quod Clusius exactissimus exoticarum materierum inuestigator prima facie, ob formam, coloris affinitatem, & facultates censuerit esse Aloes succum; sed ob acrimoniam mutauit sententiam, Libavius verò diligentissimus rerum artificialium, pariterque naturalium interpres scammonium quoddam esse opinatus fuerit. Crisis autem mea erit lac esse citrinum alicuius exoticæ plantæ, (siue arbos, siue herba, fructex, aut suffructex fuerit) extractum, & densatum eo, quo Aloes lac, seu sanguis extrahitur, densaturque modo; nimirum per externam incisionem, non autem per Anastomosis, vt lacrimæ, & Resinæ, atque gummata. scio quidem Plinium, & alios non paucos aliter succi, & lacrimæ nomine vti; sed proprie loqui placet.

Nec minor extat disceptatio, circa quæsitum plantæ, cuius dici liquor possit. Porro cum plures ignorantia Mare deridendæ sententiæ nauigauerint, quæ naufragium ibi fecerunt. Nos deridebimus eos, qui rem artificialem nostrum Krytopum esse non erubuerunt, æternis

exarare monumentis. audito Georgium Fabricium cent.  
4. obseru. 86. scribentem. *Sed vixit mecum non ita  
pridem candidatus quidam Medicina VV olffgangus Ga-  
sto nomine, vir pius, doctus, & in chymicis optime exer-  
citatus; is mihi retulit, se à chymico quodam viro fide di-  
gno intellexisse, Gemou non concretum; sed chemicum  
esse medicamentum; imo, & nonnihil Antimonij in se  
continere. & optime meus Plantus.*

*nunc cogito.*

*Vtrum me dicam ducere Medicum, an fabrum.*

Chimicorum mos est, omnia ad suam coördinare artē,  
omnia ipsi referre. hoc quoque medicamento isti, quia,  
quid vere sit ignoratur, sibi vsurpare conati sunt. sed  
cuiq. iam innotuit dolus: etenim tum Clusius, Libavius,  
Bauhinus, Horstius, Hecstetterus, Burgravius, Reude-  
nius, cæterique, plantarum liquorem esse vnanimi con-  
sensu decreuerunt. tum etiam ratio id suadet, cum sit  
massa ab indijs delata, vbi ars Chymica non ita viget, vt  
in Europa: tum denique quia pondus, sapor, color,  
& substantia leuis, æqualis, homogenea, & aqua  
soluta facilis, suadent, & persuadent nil minerale, hetero-  
geneum, & artificiale continere. expresseq. Hecstette-  
rus *nec vlla suspitio, inquit, de Antimonio esse debet, cum  
purus sit.* id ipsum autem nos quoq; decernimus, asse-  
rentes, vt tibi indicatum nuper est, nihil aliud esse, quàm  
merum succum, siue potius ὀπὸς alicuius plantæ, qualis  
est Aloe, qui non est verus succus. s. factus per contusio-  
nem plantæ; sed ὀπὸς lacrimans, lac stillans a planta vul-  
nerata, vti quoque sunt opium, scammonium, & hu-  
iusmodi.

Nec minus aberrarunt ij, qui aliquam ex nobis cogni-  
tis stirpibus huius croceilactis feracem, esse somniarunt.  
Magnus etenim Botanicus Casp. Bauhinus his vtitur  
verbis. *Aliqui Euphorbij succum censent, (forte intelli-  
git C. Clusium.) sed arbor tanta non est. qui scit? alijs*

*an sit res  
chymica*

*Mena a.  
s. s. 3.*

*non esse  
quid chi-  
micum.*

*opinio-  
nes erro-  
nea de  
planta  
Krysop.*

Rhamni solutini; alijs Cataputiae succus; alijs ex scammo-  
nio, & Tytimullo compositus. Nonnulli compositum ex  
chelidoniae maioris succo, scammonia, & Croco suspican-  
tur: alijs ex succo corticis mediant Frangula. Quid si for-  
te succus e floribus Ricini Indici expressus, & exiccatus,  
cuius in Hydropicorum serosis humorib<sup>9</sup> ducendis insignis  
usus. At Mauricius Schruterus apud Reudenium in A-  
pologia talia scripsit. Mihi magis placet sententia cu-  
iusdam iuris clarissimi, qui succum Ricini Americani, vel  
sinensis esse dicebat. succum enim potius esse, quam  
resinam aut Gummi (in quo consentientem habet Clu-  
sium) hoc probat, quod lingua saltem leuiter tactum mox  
plurimum humescat, tingat, haereat, & deteratur charta,  
vel manui adfrictum, perinde ut fieri videmus de succo  
vuae crispae condensato in officinis adseruari solito. Neque  
obstat soliditas, & durities eius. Dantur enim, & alijs succi  
rite exfiscati, qui ipsi consistentia respondent, ut praeter  
ceteros videre est in succo silphij, vulgariter Assa foetida  
dicto. Imo ipsum Euphorbium, quod facile in puluerem  
redigitur. succus, seu liquor est arboris cuiusdam ferulae,  
teste Dioscoride. dixit in 6. Acquirat autem soliditatem  
seu consistentiam hanc Gittaiemou ab arte, per quam de-  
puratur, siccatur, & in certas massas solidas redigitur.  
Quodcumq; enim eius ab aromatarijs nostratibus adfertur:  
adfertur autem plurimum, eandem serè cum opio formam  
obtinet, hoc est, caseum ouillum rotundum, & depressum  
representat, quamdiu integrum relinquitur, cum Resina,  
& Gummi nullam certam figuram, sed varia omnino ha-  
beant. Ricini porro Americani, vel Sinenfis succum esse ne-  
mo, opinor, dubitabit, qui caput Monardis, cui oleum  
Cicinum pro titulo, legerit. Si quidem enim olei ex ea ar-  
bore crasso modo ab incolis parati aliquot guttula Hydro-  
picis, & Polagricis materiam serosam euacuando auxi-  
liantur, ceu in textu habet Monardes, item grani, siue  
seminis vnus tantum pars dimidia, ut in scholio addit

Reuderi  
relatio.

Clusius valenter superne, & inferne purgant; certe succū eadem præstantem hinc potius, quam, aliunde desumptum aptissime nobis persuadebimus. Eadem, inquam, præstantem. Ab alio enim viro clarissimo Collega meo, qui sæpius eo usus, (cum ego eo uti ferè supersederim) semper quoque vomitum inde subsecutum esse observatū memini. Quod ipsum, & Ricinus noster, quoquo modo usurpetur, facit, ne dum Americanus, aut Sinensis, qui ob soli urbertatem longe valentiores. Neque obstat quod Munardes de Gummi contra Podagram dicat, calidum id videri in primo gradu, Ricinus autem calidus sit tertij gradus initio. Eo ipso enim dum dicit (videtur) aperte innuit dubitativè se hoc proferre. Et qui potuit aliter? cum usum eum, Gummi, ceu vocat, tali è textu deprehendi nequeat. A sapore, autem, & odore tantum de facultatibus medicamentorum iudicium ferentem sæpè falli contingat. Colorem mango-nium esse puto cum curcumæ infuso, aut potius insipidi al-terius tinctura conciliatum. Verè profecto dicitur si cæ-cus cæcum ducit, ambo cadunt in foueam.

*An assentiendum est, quicquid hic mentibitur?*

Nec dissimilia protulit Hecstetterus Materialista qui-dam, inquiens, nostras latbiridis indicæ succum esse cre-didit, quum, & nostræ bacce vomitum causent. qui au-tem his credunt.

*Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.*

Ego autem quid faciam, quid dicam?

*Quid nunc qui in tantis positus sum sententijs.*

Hæc equidem omnia gratis prolata ceseo, entia rationis esse absq; reali fundamento. somnia penitus ludibunda, deliramenta philosophantium absque ratione, absque auctoritate, absque experimentis, siquidem nec Clusius certo affirmavit, nec probabiliter quivis affirmare po-terit hunc liquorem esse eductum ab Euphorbij planta. solo inductus sapore acri, & facultate purgante. cum suc-cus Tapixæ, (quæ copiose hic Messanæ oritur) iridis, &

esse Ricci-  
ni succū.

Mel. G.  
a. 5.

esse La-  
biridis  
succum.

Menæ a.  
5.  
Epid. a.  
3. 5. 4.

Superio-  
rum im-  
probatio.

non est  
Euphor-  
bi succus

similium, similia præstent. dissuadentibus colore croceo nequaquam Euphorbio tributo, & maxime, quia si Euphorbium succus est albus suæ plantæ, eademque stirps alium succum citrinum eiusdem qualitatis haudquamq; reddere poterit. Falsum præterea est Chrysopo æqualem Euphorbio inesse acrimoniam: huic enim Hecstetterus saporem insipidum, nec admodum acrem inesse testatur. Clusius vero acrimoniam magnam sensit post temporis momentum. at Euphorbium illico acerrimum est. ideo scripsit Diosc. eligendum esse translucens, & acre. uti etiam Mesues. immo addit Diosc. *leui gustu, os accensū diu detinet, adeo ut quicquid ori obijciatur, planè Euphorbium resipiat.* Verum quidem est Euphorbium, quod in vtriculis concrevit vitreū spectari, & ex Mesue, esse leue, frangibile, clarū, & cum colore paleari, quale dici potest esse Chrysopum. sed præter allata, hoc Mesues dictū obstat. *Et est ex gummis, quæ dissoluuntur in oleo, & proprie quod est recens. Antiquum vero fortassis non dissolvitur.* postea eo utitur dissoluto cum oleo Keirino, vel de spica. sicin Antid. parat ol. Euphorbij: ut quoq; Gal. 2. de cōp. med. 2. loc. & Auic. 5. can. At Chrysopos facillime aqua dissolvitur, & ita pictores utuntur. Ex quibus evidentissime apparet nullo pacto dici posse cum Euphorbio afinitatem habere. nec capio Bauhini argumentum *arbor tanta non est* scribentis, cum mihi persuadeam ipsum neutram plantam spectasse; unde eas comparare nequit.

Neque Rhamni solutiui, quem *spin merlo*, Castor. Durantes; *spin ceruino* Cæsalpino, & Cordus. *spinam insectoriam* Mattioli, Lobellius, Clusius, & alij vocant, esse potest, licet baccarum succo immaturarum, ad viridem concinnandum colorem; maturarum, vero ad citrinum veantur pictores; sed diuersus est color, sapor, & vires, ut nos testamur, qui hunc colorem aliquoties parauimus.

Neque Cataputiæ, seu Lathiridis succum esse quiuvis

Euphor-  
bi pro-  
prietates

non est  
Rhamni  
succus.

nec Ca-  
taputiæ  
succus.

sano iudicio præditus arbitrari potest, quum hæc candi-  
dum, non autem flauum apud nos producat succum, seu  
lac, nec constet in India flauo, vel ruffo vulneratam  
manare sanguine. Nec minus refellenda eorum est sen-  
tentia, qui compositum quoddam ex *Scammonio*, & *Ty-  
timallo* audacter pronunciarunt, quum obftet color, &  
sola nitantur ipsi imaginatione, sine prolata ratione,  
cui tamquam legi nos credere volunt.

Absurdum magis est compositum determinare ex  
*chelidonii* maioris succo. quum certi nihil constet; nec  
chelidonij succus purgat. nec ex eius liquore stillante  
talis concinnari queat color, experiantur, & referant.  
misceant crocum, misceant scammonium. omnia chi-  
merica inuenient.

Refellimus pariter eorum sententiam, qui corticis  
mediani *frangula*, esse meditati sunt. quam arborem  
Alnum nigram bacciferam Dodon. Lobell. Camerar.  
Tabern. & Lugdunenses vocant. licet enim decoctum  
secundi corticis citrini, sursum, & deorsum purget, non  
tamen ex eo paratum concedam, nisi quis ex eo illud se  
parasse medicamentum testatus fuerit. citrinum, tran-  
lucens, inodorum, & acre. cum in memoriam veniat  
Lonicerum Arborem foetidam vocasse.

Nec ab errore vacant asserentes mixtum esse ex Che-  
lidoniae maioris succo, Scammonea, & croco. color .n.  
& substantiae æqualitas simplex, naturale quid, non artifi-  
ciale demonstrant. nullus percipitur, nec chelidonij, nec  
croci odor. vis autem purgans in tali mixto, debilior ipso  
scammonio esse deberet, cum nec crocus, nec chelido-  
nium purget. tamen validior est Krisopos. cum ipsius  
dosis à iiij. ad viij. grana sit. Scammonij vero ad drac.  
ex Diosc. licet Mesues a gr. v. ad xij. esse scribat.

Multo etiam minus concedendum est, Ricini, quæ  
planta hic Messanae copiosa, & viuax adeo est, vt ea  
Vinearum sapes conficiantur, viuuatque per plures an-

nec mix-  
tum ex  
Tyim.

nec Che-  
lidonij  
succus.

non est  
Corticis  
frangulae  
succus.

non est  
mixtura.

non est  
Ricini  
succus.

nos, quum Romæ raro biennium superasse observaue-  
rim. illud autem suspicatur Scrutherus, eo quod aquas  
Hydropicorum educat potatus. concedimus autem Ri-  
cinum purgare, & Kryfopū purgare etiam Hydropicos.  
ergo idem sunt, & ex eadem planta: nego consequentiā  
licet Kryfopus os ventriculi aliquando videatur imbe-  
cille reddere, & idem faciant Ægyptii Ricini semina, vt  
scripsi cap. de Ricino Americano in lib. de Rariorib.  
plantis Horti Farnesiani, quem sub nomine cuiusdam  
Tobiæ Aldini in lucem edidi. ibi. n. Historiam attuli e-  
necati ab isto Ricino. quum eius venenum, quo os ven-  
triculi mortificari credidimus, euinci nequiuert. & i-  
stius rei mentionem etiam feci, decadis primæ Epistola  
Io. in fine. neque valet Scruteri subterfugium. Oleum  
Ricini apud Monardum purgare aquas Hydropicorum,  
vnde tale quid etiam succus præstare valebit. immo con-  
tra ipsum est, quia si Monardes vtriusque meminit, & non  
agnouit Gummi ad Podagram esse succum Ricini. cuius  
olei facultates describit. multo minus id scire Scroterus  
potuit. frustra etiam laborat conciliare qualitates Ricini  
calidi in tertio gradu, cum Gummi ad Podagram calido  
in primo. Verum quia color maxime obstat & dato vno  
Absurdo sequitur aliud, adscititium esse colorem putat,  
sed quibus coniecturis, quib. rationib. & auctoritatibus?  
sola imaginatione! valeat igitur, fingatq; chimeras ad  
libitum.

Neque opinari nonnullus poterit Berberis, seu Mat-  
tioli Crespini, succum esse, licet abundet liquore cro-  
ceo, quia facultas deiectoria, quæ huic non inest, palam  
id facit.

Si quis censeret dici forsitan posse antiquorum Glau-  
cium, quod herbæ succus erat ex Diosc. quæ ad Hiera-  
polim Syriæ nascebatur, folijs fere corniculati papaueris  
pinguioribus tamen, in terram sparsis, odoris tetri, gu-  
stus amari, tota croceo succo madebat: folia in olla fi-

non est  
Berberis  
succus.

nec est  
Glaucium.

etili semisfrigidis clibanis calfaciebant indigenæ, vsque dum flaccescerent, deinde contusis succus exprimebant. idem ferè Plinius etiam exarauit lib. 27. cap. 10. sed cum Glaucium gustu amaro fuerit, odoreq. tetra, & ex Galeno 6. de simp. m. f. astringat cum quodam fastidio, non erit guttæ gummi sine odore, & sine amaritie, & cum facultate solutiuæ. An verum nunc nobis Glaucium adferatur non noui. certum quidem est Memithem Arabibus dici, & Serapionem scripsisse. *Melior ex eo est ille, qui est interius crocei coloris, exterius vero ad rubedinem, & nigredinem declinans, amari saporis, & odoris non boni, &c.*

Postrema opinio discutienda illorum est, qui Gummi antipodagricum Nic. Monardes esse opinati sunt. de quo scripsit hic. cap. 39. *Dabat mihi idem Episcopus Gummi genus ( cuius arborem non poterat describere ) ex eodem continenti delatum, quo se podagrici isthic purgant in hunc modum. Illius gummi fragmentum nucis pondicæ magnitudine, stillatitio aquæ liquore noctem integram macerant, postridie mane percolant, & exprimunt, eam aquam ad duas uncias hauriunt, neque quicquam cibi sumunt ante meridiem, eo medicamento sine molestia purgatur humor, qui podagram creat. Insipidum est, & inodorum, calidum videtur in primo gradu. Sensit ergo Reudenius Schlacceuualdæ Medicus in Epist. de nouo gummi purgante, & in eius Apologia, cum VVittichio in lib. de lap. Bezoarticeis. & Mauritio Schruetero. idem esse Gummi guttæ, & Gummi antipodagricum. at Bauhinus de hac re dubitat, nec quicquam affirmat. Libanius verò hoc affirmare, vel negare, parum referre putat. irridet autem Hecstetterus, & viriliter negat.*

Probat Reudenius primum nomine generico *Gummi ad podagram.* & simili *Gummi guttæ.* sed fatetur se ignorare nominis significatum, gummi tamen potius

*An sit  
gummi  
antipoda-  
gricum.*

*Reudenij  
ratio.*

esse, quam succum conatur suadere. Ego mallem referre, inquit, inter Gummata, à visciditate resinosa potissimum deducto argumento. In mortario enim quando teritur, pistillo tenaciter adhærescit, nec in pulverem solum commodè redigi potest, nisi asperso tantillo sacchari, aut aromatum tritorum. Vidi etiam quedam frustula, qua flammam conceperunt, & arserunt accensa instar Turis, filum quin etiam traxerunt gutta à conflagratione destillantes, non secus ac cera hispanica dicta.

obiectio.

Si quis obiecerit consistentiam Chrysopi diuersam esse ab alijs gummis, & potius succis assimilari.

solutio  
Reudenij

Respondet hanc dependere à depuratione, quam D. Mauricius Schroterus hunc in modum describit ex relatione ciuis Lipsensis Ioannis FereKen, qui Regiones in India plures perlustrauit, & itinerarium edidit, ac arbores à quibus promanat, quam plurimas se vidisse adseruit. Destuere nimirum ad radices arborum ubi illi inhæreant animalcula omnis generis, & sordes non pauca; qua propter tolli ab incolis, & conici in lebetem, depurarique, & preparari nonnullis additis, cum artificio singulari ad ignem, quousque tale euadat; dehinc fundi in formas rotundas, & depressas, quas massa, qua ad nos feruntur, representant. A diuersitate igitur depurationis puto illud, modo magis referre Gummi, modo proprius videri accedere ad succi concreti consistentiam.

impugna-  
tur solu-  
tio Reu-  
denij.

Equidem contrarium sentio neque κομμι. i. Gummi, neque χυλον. i. succum; sed ὀπὸν. i. lac potius, & nullo modo representare Monardis Gummi laxatium. Quo supposito dico nihil quicquam Reudenium probare cum gummi nomen non rectè prædicetur de Chrysopo, quem Clusius potius inter succos numerat. nec quicquam Reudenij verba valent, qui videtur ignorasse naturam τῶν ὀπῶν. quorum aliqua sunt resinosa; gummata autem sunt perpetuo aquea. ita etiam in

contundendo pistillo tenaciter adhærescunt succus Acaciæ, Hypocistidis, & Liquiritiæ, quæ non sunt Gummata; vnde Gal. in compositione Theriacæ. si hæc fuerint humidiora, & in puluerem redigi nequeant, potius vino soluit. Quod autem dicit de liquefactione guttæ gummi ad candelam, potest facillime negari, tum quia totus aqua soluitur, vnde aquosam, non resinofam sortitus est naturam. tum etiam quia Opium quoque ardet candelæ admotum. vnde Diosc. *optimum*, inquit *non atra lucet flamma, extinctum odoris vim conseruat*. hoc autem est ὀπός. at Elaterium est χυλός, & succus. tamen scripsit Diosc. *optimum lucernarum luminibus obiectum, facile flagrat*. quare tam succus, quam lac ardent, & liquantur ad lucernam. quod tamen Gummiis veris, vt arabicæ, Tragachantæ, cerasorum, prunorum, Amigd. &c. non accidit; sed vruntur sine flamma. Opoponacum autem, sagapenum, Euphorbium, Galbanum, ammoniacum, & similia improprie ab idiotis Gummata dicuntur. quum τῶν ὀπῶν naturam ex Diosc. referant.

At porrò, quia timebat Reudenius, ne quis negaret suam gummi ardere, & liquari. subdit *Hinc etiam de filis guttarum non semper respondet experimentum, ac deprehenditur nonnumquam non absumi omnem per flammam, quemadmodum in Gummi, & resinis puris putis fieri solet, sed remanere interdum cineres, quales de succis inspissatis tenacibus quantumvis exustis superesse cernuntur*. Equidem sum expertus Chrysopon flammam statim concipere, & ardere, & liquari, vt cera Hispanica. non ob id concedam gummi esse; sed contrarium potius asseram.

Ad obiectum de consistentia non forma lacrimarum, vt alia gummata, ingeniosè respondet Reudenius. vnde mirari deberemus diligentiam colligentium hunc Chrysopum, & depurantium. cum hac non

Gummi  
nō ardet

Reudenij  
refugiū.

Reudenio  
responsio

vtantur, qui Galbanum, Ammoniacum, & similia colligunt. sed suspecta fides est illius Mercatoris, præcipue cum addit, artificio nonnulla addi. non enim videtur succus ex diuersis compositus. quod si compositio ignoratur, non debet supponi tamquam vera, & vt ad quæstionem regrediamur, cum Chrysopus Gummi non sit, ruit comparatio, & assimilatio nominum à Reudenio proposita: quare nihil probat.

Negari autem è contra facillime potest: primo colore, qui, cum euentissimus sit, reticeria Monarde non debebat. & pictores copiose modo vtuntur. ob maximam tincturam notatu valde dignam.

Secundo sapore, quia apud Monardem gustu insipidus est, Chrysopus autem acerrimus est.

Tertio Dosi. namque Chrysopus datur ad pauca grana, nec ascendit ad scrup. j. sed Gummi antipodagricum ad auellanae magnitudinem datur, quæ forte pendet dr. ij. nec rectè ponderat Reudenius, qui Auellanae magnitudinem pendere censet xij. xv. ad summum xx. gr. & ait. *leue est hoc gummi; vt frustulum nucem auellanam mediocrem referens magnitudine aequet pondere grana ferè duodecim.* sed si difficile esset experimentum, illi penitus crederem, at mihi ponderanti hoc medicamentum magnitudo eius ad auellanae mediocris formam. dram. j. ÷. pependit. vt aloe succotrinum.

Quarto a modo sumendi. quum si Chrysopus eo modo sumeretur, scilicet, aqua dissolutus, fauces nimis inflammarentur ob acrimoniam. gummi autem ad podagram, quia insipidum, facile, & tuto sumebatur.

Quinto patria, & loco natali differre Hecstetterus obiecit, licet defendere conetur Reudenius, de quibus mox agemus.

Fuit etiam quorundam opinio Chrysopum nostrum esse succum resinosum è Rhabarbaro recenti artificio-

probat  
non esse  
Gummi  
Monar-  
dis.

Non est  
succus  
Rhabar-  
bari.

sè extractum.

Refellit autem hanc Reudenius scribens. Reclamat locus natalis. Rhabarbarum in Troglodytica regione, vel rectius in Chinarum regno indiae orientalis prouincia maxima, aut vicina regione barbara Tartarorum nascitur: unde, vel Alepum Asiae defertur, inde Alexandriam Aegypti, & tandem Venetias, unde Germania, & cætera Europæ Regna petunt. Vel per Armusiam à Lusitanis Vlyssipone importatur, unda à Belgis, & Hamburgensibus, alijsque ciuitatibus Hanseaticis nobis communicatur. Gummi autem Gittæ ad nos mittit regnum Peru America, siue occidentalis Indiae prouincia, ex qua Hispanorum opera, & industria id adquirunt officina nostra. Etsi autem Monardes historiae suae simplicium cuiuslibet libro 7. indici cuiusdam Rhabarbari expressam mentionem facit, eiq. omnes notas attribuere videtur, quas orientale Rhabarbarum obtinet. tamen rationi haud est consentaneum, & radicem amarissimam fundere succum plane insipidum; & è medicamento ex mediocriter purgantium classe gummi tantæ actiuitatis elici, ut eius quatuor, quinque grana plus, quam in substantia duæ, vel tres dracma operentur. Succus certè è Rhabarbaro chymicè extracti summa diligentia semidracma ad purgationem requiritur. Addo & hoc, neminem succum gummi referentem in Rhabarbaro obseruasse. quod si maximè inesset, extrahi è radice in terra latitante non posset. In effossa autem nulla vulnerationis; aut alterius passionis animaduertuntur signa, quæ gummi, aut resinam exudasse indicarent. Quid quod ipse Monardes in obseruationibus perspicacissimus plantam Rhabarbari sui occidentalis cum ea, quæ Gummi fundit eandem esse non animaduertit: immo potius hanc arbo-rem esse expresse scribit, licet eam, quantum ad propriam figuram, non describat.

impugna-  
tio Reu-  
deny.

Tsen. a  
5. 52.

opinio  
nostra

est mige-  
neris plā  
ta indice

Note  
Chrysofop.

Haftenus mi lector varias Auctorum opiniones recensui, laceraui, & deleui, nunc autem.

Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi fugatis hostib. quid sentiendum censeam breuiter propalabo. Dico igitur esse succum de quo verba fecit Clusius nomine Gittaiemou. nec esse Resinam, vel Gummi, vel succum concretum; sed *ἰνόν*, seu lac quoddam è plantis stillans, & ex arbore quadam si credere voluerimus Lipsiensi illi, cuius meminit Reudenius, qui regiones illas indicas perlustrauit, ac Arbores, è quibus promanat, quam plurimas se vidisse adseruit. *defluere nimirum ad radices arborum, &c.* ut supra retuli. at si fidem præstare voluerimus ijs. quæ P. I. Faber litteris tradidit. non poterit esse arbor: sed humilis planta, nam sic loquutus est. ex relatione Mercatorum. *Paratur is succus ad modum, & instar Mechoacami. & scammonij, inciso, & excauato plantæ caule, & ex spelunculis recens succus formatur, & concinnatur in magdaleas, quæ exiecata seruantur.* non ergo huius planta poterit esse nostratibus similis, cum nulla hoc modo lac croceum reddat; sed sui generis Indica planta nobis ad huc ignota, & diuersa a Lathiride, à Ricino, ab Euphorbio, à Rhabarbaro, à Berberi, Scammonio, Tithymallo, Frangula, Rhamno, Chelidonia, Glaucio, & Gummi Antipodagrigo Monardis, & huius census alijs.

### Descriptio Chrysofi, & Ortus. cap. 3.

**H**Vius puri, notæ ex Clusio sunt, ut sit densatus succus, valde purus, nullisque sordibus infectus, fului coloris, & paululum salina, vel aqua tinctus, prorsus flauo colore inficiat; vnde nostri pictores aqua diluto vtuntur ad citrinum colorem.

cartaceis imaginibus tribuendum. color Albem non ad-  
æquat, nisi ad ad extra; ubi color obscurior e st. odor  
nullus est, sapor autem principio nullus: *Sed post tem-  
poris momentum (inquit Clusius) magnam acrimoni-  
am in gutture mihi excitabat, ut suspicionem moueret Eu-  
phorby succum esse posse.* Hecstetterus scripsit, insipidum  
esse, nec admodum acrem, cum non mordentem; sed  
exiccantem guttur vim habeat. sed Andreas Hilde-  
brandt in Epist. ad Greg. Horstium, eum, qui assump-  
sit retulisse, ait, saporem eius quasi terræ sigillatæ fuisse.  
mecum autem multi, quibus exhibui, conquesti sunt  
de ardore, & calore faucium, & licet cum conser-  
ua rosarum assumpserint hunc, tamen acrimoniam mul-  
tam sensere, nec debemus aliorum palatum requi-  
rere, quilibet experiri potest. in magnas massas coa-  
ctum caseo similes adferunt. durum, lucidum. dum  
contunditur cohæret. ideo leuiter leuigando, est  
molendus. ad candelam approximatus accenditur op-  
time, liquefactus cadit; sed adustus, & niger.

Circa eis Ortum, nataleuè solum digladiantur a-  
cerrime Reudenius, & Hecstetterus. alterum Orien-  
talem, alterum vero Occidentalem probare conatus.  
Reudenius primus Gummi de Perù, seu Peruvianum,  
in Epistola de nouo Gummi purgante vocitauit. quo  
etiam nomine And. Hildebrandt appellauit. Hoc au-  
tem probare conatur contra Hecstetterum Reudenius  
in Apologia, auctoritate etiam Mauritij Scruteri. &  
quia videbatur repugnare, succum Gittagemu Clusij  
ortum in China, & india orientali esse posse Gum-  
mi ad Podagram Monardis ex india occidentali, &  
Perù; ideo Respondet non repugnare eandem rem,  
nasci in vtraque India, vtradiex China, quæ ex orientali  
affertur, tamen Monardes etiam in occidentali repe-  
riri asserit. deinde Clusij auctoritatem deprimere co-  
natur. Ex opposito Hecstetterus cum Clusio, qui suc-

color

odor

sapor.

Substan-  
tia.

ubi na-  
scatur  
Chrysop.

defertur  
ex orientali  
India.

cum, quem habuit a Petro Gareto, recens è Sinarum regno allatum anno 1603. retulit. Libavius ab oriente deferri credidit, & ipse Hecstetterus a Mercatore Augustano, qui diu Bantami vixit. affirmat se auduisse in usu esse hunc succum in orientali india, & addit fortasse dici. *Gummi de Goa*, quia a Iesuitis P. P. Goæ Indiæ orientalis Augustam missum fuit. immo si Hildebrandus recens habuit a Mercatore Hollando, qui ipse met, ex India se attulisse, aiebat, omnino attulit ex orientali India. At P. Ioan. Faber, dum scribit asportari ex India occidentali, ex partibus chinæ, ostendit se ignorare, in qua India sit Regio Chinæ. & hæc de Patria Guttæ gummi ex aliorum titubanti relatione ratiocinari licuit. vt autem meam interponam censuram dico Chrysopon é china, & India orientali desumi, & deferri, quod non potest negare Reudenius: sed vt tueatur esse gummi antipodagricum occidentale, conatur suadere, ex vtraque India deferri; sed frustra laborat. & hæc omnia referre volui, mi lector, non tamquam scitu necessaria, quum imaginatione potius, quam re vera proferantur; sed vt agnoscas, me nihil intactum reliquisse, quod ad Chrysopum pertineat. parum enim refert scire in qua regione Scammonium, Piper, Euphorbium, Cinnamomum & similia nascantur, ex qua planta, & quo modo, colligantur. sed quas facultates habeant, & vtendi modos, tempus, & quantitatem.

*De facultatibus Chrysopi. cap. 4.*

temperamentum.

**C**Um (vt cætera mixta) ex quatuor Elementis Chrysopus sit mixtus, & quatuor sortitus sit, secundum elementorum symmetriam, primas qualitates, decernendum est primo ipsius temperamentum, nam

Re udenius huius temperiem, vel esse æqualem, vel in primo saltem gradu ab æqualitate descendentem, ac non admodum sensibilem, ostendere conatus fuit, vt æquiperaret Gummi antipodagrigo Monardis. quod statuit calidum in primo gradu. probat autem, quia cum sapores, & odores sequantur temperamentum, & in his qualitatibus nullus sit manifestus a temperie excessus, qui sensibus notari queat.

Sed fallitur, & nos fallere conatur Reudenius dicens nullum manifestum sentiri saporem Guttæ gummi, quum adeo sit manifestus, & acris, vt Clusius scripserit. *post temporis momentum magnam acrimoniam in gutture mihi excitabat, vt mihi suspicionem moueret Euphorbij succum esse posse.* nec quidem Clusius affirmavit esse Euphorbij succum, vt male illum infimulat Reudenius, sed primo gustatu in suspicionem venisse. Hecstetterus autem *insipidum est* inquit, *nec ad modum acre, cum non mordentem; sed exiccantem guttur vim habeat.* at Scroterus in Epist. ad Reudenium. *Initio cum in lingua saporum iudice dissoluitur, insipidum planè deprehenditur post temporis verò momentum cum iam ad fauces peruenit non leuem acrimoniam excitat, ac si aliquid de radice pyrethri, vel angelicæ gutturi inhereat, ceu in me ipso, & alijs obseruauim, cum nudum id a nobis sumptum.* & subdit, non habere tantam acrimoniam quantam Euphorbium, neque tam diu durare. Nos vero, qui nuper dictam acrimoniam experti etiam fumus, dicemus, si non tantam, quantam Euphorbium habet, acrimoniam, neque, similiter erit calidus, & siccus in quarto gradu, vt Mes. facit Euphorbium. sed vt Piretrum, vel Angelica, quæ sunt cal. & sicca in tertio gradu. mihi certè acredo est qualis radicem Timeleæ, hæ enim degustatæ, & mansæ nullius apparent saporis, sed post parum temporis acredo insurgit, & maxime sentitur,

saper  
acris.

*validus.  
& siccus  
in 3. gra-  
du.*

*Facultas  
solutiva.*

& diutius perdurat. Illi autem qui deuorant Chryso-  
pon etiam cum saccharo rosaceo mixtum, si parum  
manderunt. post aliquod tempus senserunt in faucibus  
maximam acrimoniam, quæ tota die perdurauit. Qua  
propter si quid mihi decernere licet, in fine secundi  
gradus, vel in proprio tertii hunc collocabo, censens  
sortium esse duplicem substantiam, insipidam, & super-  
ficiale, quæ primo gustatu sentitur, acrem autem, etiam  
profundam, quæ mox emergit, & patefit. in qua  
autem parte locata sit facultas solutiua non facile est  
iudicare. inclinatur tamen animus dicere partem acrem  
esse Vomitiuam, natura sua aduersam Oesophago, & ori  
ventriculi, coloratam autem superficiale, tum leui-  
ter madefactus hic *ὀπός* colorem impertiatur citrinum.

Possidet etiam Chrysopos a facultate Spirituali, non  
autem elementalī. facultatem solutiua, eamque va-  
lidam. unde Libanio sic testari placuit. *easdem vires  
habet cum Scammonio, Diagridio, Esula, &c. itaque  
& soleo Scammonium orientale vocare* est autem non  
leue medicamentum; sed validum electriue purgans de-  
orsum, & sæpe etiam sursum.

*Quos humeres eduoat Chrysopos. cap. 5.*

**E**xperimentis standum videtur, quare auctorum  
testimonia afferemus. Næuius apud Burgrauium.  
omnem, inquit, *saburram Cachectici, cachochymiciq;  
corponis, sentinamque omnem vitiosorum humorum  
è meditullio viscerum euellit, & euacuat radicibus, ut  
ne eo quid melius. Catharticum hydragogum creditur,  
vulgo. approbante id experiendia, Amurcam, & se-  
minarium omnium Pathematum corporalium expurgat  
unicè hoc gummi, minerasque tartareas vniuersaliter si-  
mul, & sulphureas eluit ad miraculum Colosseum. Clusi-*

*Hydra-  
gogum.*

illo uti, scripsit, *Incolas intelligebam ad aquosos humores sine molestia euacuandum*. Hecstetterus refert audiuisse, in orientali India esse in usu ad acochymiam, inflationes corporis a diuturniori mora in mari. & ex quodam Mercatore refert, valere ad serosos humores ducendos. & subdit, *Vires quas haecenus observare licuit, adscribam, euacuat sine molestia, ac torminibus in primis humores serosos, ac biliosos tenues; idque cito, non diu moram in corpore trabens: supra, & infra corpus disturbat, eiiciendo vomitu, quae in ventriculo sunt, maxime crassam, & tenacem pituitam: deiectione vero cum sero bilem purgat; & id characterismus colonis optime depingit*. Rarius tamen alios succos humoresue respicit, & saltem ex accidenti eos prolicit, si nimirum a sero moventur. P. Io. Faber scripsit etiam, *euacuare pituitosos, & serosos humores potentissime sursum, & deorsum*. Reuden. in Apolog. illud cum elatione medica purgare serositates biliosas, facile concedo; id autem characterisum coloris optime pingere, nego. Siquidem neminem puto tam oculatum, ac perspicacem inueniri, ut inspectione sola, utrum excrementa alui a bile, an vero à Gummi flauedine tincta sint, queat, infallibiliter cognoscere. Equidem dubito affirmare flauum humorem, & serum eductum, esse biliosum: nam si obijceretur pituitosum succum, colore medicamenti esse tinctum, non haberem, quod probabiliter afferrem. nisi recursum ad saporem. sed paucagrana Chrysopi non possunt multum colorem tribuere faecibus. scripsit Libanius. *Ante triduum iuuenis quidam ex Syro diacinnamomo totidem grana bauit, nihil purgatus est deorsum. Per vomitum autem reiecit album phlegma multum*.

Constituendum mihi videtur, serosos proprie euacuare humores, per acidens vero alios quoque humores scilicet pituitam, & bilem.

euacuas  
humores  
serosos.

*Qua pars euacuetur à Chrysopo. cap. 6.*

**E**X dictis venari nobis opus erit, quæ corporis partes hoc Chrysopo euacuentur, & licet euacuando sursum, & deorsum, possimus dicere exinanire ventriculum, & intestina, non tamen hic est sensus noster. sed an materiam, quam reperit in internis, an vero eam ab aliquibus corporis partibus attractam per dictas partes expellat. primum quidem minime asserendum videtur, eo quod neq. stercorea, neque crassam pituitam, quæ in præfatis locis stabulari solent, educi appareat; sed tenues, & serosos humores excretos cernamus, quapropter dicendum, eas euacuari partes, quæ tales continent humores. ergo non modo venas, & arterias; sed etiam cauitates, & loca distantia, vt est cutis, atque etiam articuli, expurgare dicemus, & Auctores, qui Gutte gummi commendant, valere, testantur, ad articulos, Hydropem, cutis infectiones, pectoris affectus, & febrem quartanam.

*Qui morbi curentur a Chrysopo. cap. 7.*

**H**uius medicamenti cognitio non a ratione; sed ab experimento pendet. non enim confirmata est antiquorum auctoritatibus; sed recentiorum audacia in usum adhibitus fuit. nobis vero ex illorum experimentis fas erit, quod volumus perquirere. Burgravius. *Hoc remedium inquit planè specificum ad Hydropem à nobis alijsque nonnullis salutari experientia sæpius depræhensum est.* Næuius Burgravius scripsit. *Nosti enim tu, quot eo Hydropicos curauit Iacobus Verckhousius Lugdunensium ille Empiricus. Noui ego, quot tu similiter paucis huius dosibus, inst. n. tu nobilissimi Domini Caroli a Sternsee, &c.*

à locis re-  
motis e-  
uacuat.

Hydropi.

*Apothecarij Rochæi uxorem puerperio attenuatam, febre quartana labefactatam, tandem marcore exossem, attamen Anasarca ad desperationem aggrauatam, resumptis viribus A. D. O. M. ex mortis faucibus euulseris, Præterea Andreas Chioccus in Museo Calceolariano refert huiusmodi verba. Hoc se fœliciter Hydropicos curasse Clarissimus Mediolani Medicus Septalius litteris ad me datis profitetur. Nauis etiam in Tympaniticis commodè vsus fuit. Ioannes Ingostetterus Medicus Ambergensis in Epistola ad Rendenium adferit. se cum Collegis D. Ioanne Rosa & D. Ioanne Georgio Agricola vsum esse hoc gummi in Hydropicis non in fœliciter; præcipue in Ascite. Hecstetterus etiam testatur se pluribus Hydropicis salubriter dedisse. & in orientali India esse in usu ad cacoehymiam, & inflationes corporis a diuturniori mora in mari adfirmant. inquit, vt supraretuli. Libanius. noui inquit quorum aquas detraxerit, ita vt venter hydropicus detumuerit laudabimus nos quoque Chrysopon ad Hydropem, nam aquas, & serositates propriè respicit, & educit, At P. I. Faber de Q. Essentia Gittæ gummi sic loquitur. Aquam intercutem certissime exiccat, quod eius spiritus salis, potentissimè serosos exhauriat humores, & corrumpi non permittat, & iecur roborat, ita vt non serosum producat, & efficiat sanguinem: sed laudatum, & ab omni hæmatoseos vitio vindicatum. Leucophlegmatiam etiam ex eadem ratione curat, & pallidos virginum colores; quia roborat ventriculum, & expurgat ab omnibus serosis humoribus; & aperit omnia obstructa, difflatis vndeque per cutis spiracula spiritibus, & euacuatis inde tertiæ coctionis excrementis. sed hic Messanæ cum deploratos aliquot Hydropicos huius ope curauerim eius vim Hydroticam satis notam censeo.*

*Ita in Phthificis se vsum esse satis commodè, nos mo-*

Hydropi

Phthi-  
cis pro-  
dest.

nitos voluit Næuius. at P. I. Faber guttæ gummi Q. essentiam. Pectus, & Pulmones eadem etiam ratione a crassis, & pituitosis humoribus vindicat, & suspiriosis, & difficile respirantibus subuenit. quod si verum est, Pectoris morbis conferre, dicemus.

Febricitantibus.

Febricitantibus etiam Exhibetur. nam Libavius ait. Nobili Fœminæ datum est illud medicamentum cum Theriaca in febre ardente. Burgravius exhibuit quartanario. at P. I. Faber. Quartanam scribit tutissimè curat eius frequens usus, quod eius spiritus subtilissimus, & potentissimus, quemcunque soluat, & disperdat tartarum. cum autem multæ febres gignantur ab ichoribus biliosis, pituitosis, & melancholicis euacuantiâ huiusmodi ichores tollere poterunt dictas febres.

capitis morbis.

Capitis etiam morbos tollere fatebimur, si materiam lædentem ab hoc attrahit. at asserit quidem P. I. Faber scribens de Q. essentia. Membrorum tremoribus subuenit, & paralyti, torpori, & Caro, & omnibus Cerebri morbis ex pituita, & serosis humoribus provenientibus, propter eandem rationem.

Arthritidi.

Arthritidi, Chiragræ, & Podagræ (quam guttam vocant) summe prodesse dicunt, qui censent esse Monardes Gummi ad podagram. vnde Reudenius id præstare voluit, quia euacuat serum: namque nec pituita, nec bilis, nec Melancolia possent ferri ad articulos; nisi essent sero attenuata, cuius euacuatione prohibetur tum fluxio, tum fluxionis penetratio. & ait. Dum igitur gummi nostrum admistum serum expurgat, non solum podagram præsentem mitigare, & inhibere eius augmentum, verum etiam ab imminente corpus præservare aptum est. cape exemplum. Strenuissimus capitaneus bellicus gallicus Carolus Darandel à multis annis solitus fuit tempore verno, & autumnali laborare tumore, atque dolore compressivo lienis, quem sequebatur Arthritis acerbissima. Hic Parisijs in Gallia,

in Ungaria bibit aliquoties decoctum ligni methodicè propinatum. Thermalique in seſſu articulos roborare voluit, at sine aliquo insigni commodo. Postquam autem, meo iussu, penè biennij spatio singulis mensibus, nostro Gummi cum extracto hellebori nigri in pilulas redactò vitiosos humores excludit, ac ad sudorem promouendum nonnumquam Acidulas, in districtu Abbatia Toplensis adhibet, belle viuit, rarissimeque insultus hostis sui, eosque non tam vehementes, ut antea experitur. Animaduertitur hoc etiam in alijs adfectibus morbificis, a serosis, & tenuibus ichoribus productis. ipse testari possum, quod cum ante annum erysipelate laborarem in dextro femore, huius medicamenti adsumptione multum fuerim adiutus. At P. I. Faber de quinta essentia Gummi Guttæ sic effatur. Arthritidis summum & unicum est arcanum ad euacuandas eius causas internas, & refocillandas partes, tum neruofas, & musculosas; quia eius salis spiritus id omne commode, & certissime peragit ad auctis vitalibus, & animalibus spiritibus, & refocillato humido radicali partium omnium. nec inficias ibo, hunc & valere ad Artritidem, cum euacuet valide a remotis partibus serositates.

Denique laudatur a P. I. Fabro ad cutis affectus non modo intus assumptus; verum etiam ab extra applicatus, ideo scriptum reliquit. Cutanea omnia vitia exterius applicatum, & interius sumptum certissime curat, quod sanguinem mundet, & exiccet humores in vlcera defluentes, & corrumpi non sinat, & agglutinet, quod solutum est per humorum acrimoniam, suo balsamico oleo.

Potest etiam exhiberi in alijs quibuscunque morbis vbi peccauerint ichores, ut etiam bilis tenuis, & pituita, habito respectu ætatis, temperamenti, &c. Nauius ausus fuit etiam prægnantibus exhibere. Ioanes Colle. in Meth. Ad hydropem, dolorem colicum, arti-

ad Cutis  
affectus.

culorum , Podagram , &c. R. *Gumma indica Guuot vocata. gr. vi. cornu cerui preparati, margaritarum prepar. an. scrup. ̄. misce fiat puluis, qui singulis octo diebus administretur.*

*Quæ nocumenta pariat Chrysopos. cap. 8.*

**V**t alia purgantia , non raro lædunt corpus , ita Chrysopos purgans solet diuersimode corpora molestare , vel dolores , & flatus in intestinis , vel nauseam , & Vomitum in Ventriculo ; vel superpurgationem , vel faucium ardorem , & summam siccitatem , ac oris ventriculi læsionem , lassitudinemq; corporis molestam , excitando . Auctorum testimonia satis ampla habemus . G. Horstius . *Recens istud purgans gutta genu dictum, illud hætenus etiam nostris regionibus ( i. Francofurti ) fuit in usu ; sed postquam obseruauimus , in quam plurimis diuersa , & sæpius periculosa ( non alia quadam manifesta causa concurrente ) symptomata fuisse subsecuta, ab usu eius abstinendum esse putauimus , ne per aliorum dolores experimenta faceremus .* Horstio sic respondet Hildebrand . *Gratissimum mihi fuit candidum tuum iudicium de Gummi isto Peruuiano . Dn. D. Backmeisterus Rostochio idem ad me perscripsit, corpus videlicet vehementer id perturbare, vomitumque simul, & aluum mouere, non citra tedium, & nauseam, adsumentis , ideoque usum eius penitus apud illos defecisse, nisi quod robustioribus interdum exhibeatur, qui alia reformidant . Miror sanè ; ijs .n. quibus hætenus illud a g. 10. ad 12. dedi numquam tale quid contigit ; sed lentissimè , ac lenissimè citra vllam perturbationem purgati fuerunt . Litteras accepi nuper a Pharmacopoeo quodam Amsterodamo*

Petro Garneto, qui mirificas eius, & penè diuinas virtutes, atque effectus præsertim in Hydrope Anasar, ta satis deprædicare nequit. Næuius Burgrauio sic verba fecit. *Nè quidem alias symptomata noxia ex assumpto hoc vidi secuta, quam in scemina pregnantæ sex mensium febricitante, quæ iuxta hypogastrium dolores eximios sensit. Et in alia phthisica, quæ parum à letheo fonte aberat, (per me tamen restituta cum bono Deo) ex importuna καδασον Empirici, sine examine Methodico, & Dogmatico: in hac contra Aphoris. Hipp. 8. sect. 4. in illa contra aph. 34. sec. 5. In alia itidem Tympanitide affecta, quæ ob circumgyrationem Euripeam flatulentorum barborigmatum graues utcumque dolores percepit, usque dum post sedem vnā, atque alteram cum euphonia molem aquæ citrinæ deijceret. Libanius. Dedit aliquando vixeri meæ grana x. ea satis molestè euacuabatur. Nuper exhibui xii. grana cum speciebus Diagalangæ ex vino. Primo die octies, & toties secundo, tertio non sine dolore intestinorum ventrem mouebat in eo homine, qui satis fluidum, & plenum humoribus corpus habebat. Ante triduum iuuenis quidam ex syrupo diacinnamomi totidem grana hausit, nihil purgatus est deorsum, per vomitum autem reiecit album flegma multum. Noui quorum aquas detraxerit, ita ut venter hydropicus detumuerit. Nibili sceminæ datum est illud medicamentum cum Theriaca in febre ardente. Ea ultra modum ita euacuata est, ut defecerit. mihi pilulis, & alijs catharticis nihil fecisse immoderate deprehendi. Vomitus etiam concitare plerique fatentur, atque ventriculum subuertere. sed P. I. Faber. exiccare ventriculum, & Oesophagum summo pere. dicam ego quod sentio. quæ nocumenta auctores allati attribuunt Chrysopo, sunt etiam communia alijs validioribus purgantibus, scammonio, el-*

Næuius

noceat  
triculo.

infortu-  
niam.

nocumen-  
ta à phar-  
macis.

terio, Latiridi, Ricino nostrati, & similibus, quæ Vom-  
itum aliquando, aliquando vero intestinorum cru-  
ciatus, quæ, & Manna, & Cassia benignissima in  
se ipsa non raro efficiunt. Equidem bis vidi ex solo Mel-  
le rosaceo, & sy. solutiuo ægrotantes enecatos. Iuue-  
nis ob iram, & melancoliam in leuem tertianam no-  
tham intermittentem inciderat, post quartam accessio-  
nem in die intermissionis ab assumptis onc. v. sy. ros.  
solutiui post horam amisit Vocem, & 9. post hora  
animam; secto corpore inueni Ventriculum laceratum,  
& corrosum, nihil aliud continentem, quam puram,  
bilem citrinam, vt scripsi in meo sepulcreto. Alter post  
tertiam tertianæ accessionem in die quietiori assumpsit  
vnc. vj. Mellis ros. sol. & post x. horas obiit, nam copi-  
ose bibit, & aquam fontis frigidam fluere supra pectus  
vult, vnde oborto frigido sudore obiit. si vellem,  
possem hic plurimos enumerare ciues, quos Messanæ  
obiisse vidi ab assumpta Manna, qui error fuerat Me-  
dicorum ignorantium corporum vires, an ferrent Me-  
dicamenta; alter enim debet in diarrheæ, alter in phthisi,  
in febre maligna, in vulnerato in pectore, & mori-  
bundis. vnde sæpe illud vidi, quod. Hypp. timuit dicens  
*magnam esse calamitatem medicamento dato ægrum  
mori.* hæc quidem non sunt nocumenta a medicamen-  
ti natura; sed ob errata ægrotantis: vel medici insci-  
tiam: sic plurimi sumpserunt Guttæ gummi, & mode-  
rissimè, absque vlla molestia fuerunt euacuati. Ve-  
rum fatendum est aliquando Oesophago, faucibus, &  
ori ventriculi nocere. & magis proprium vitium hu-  
ius medicamenti reor. *exiccare summopere;* dixit Fa-  
ber oesophagum, & ventriculum. quod fateor a ma-  
nifesta qualitate efficere, immo etiam sua acredine  
plurimum molestare; præcipue si mandatur, vel suma-  
tur ita, vt substantia sua fauces, & Oesophagum,  
tangat. sed suspicor etiam nocere ab occulta quali-

tate, quo pacto obseruari Ricinum Ægyptium vetus, & rancidum à circulatorum Romæ venditum ad grani vnus dimidium assumptum purgare sine molestia; sed ea cautione, vt deuoraretur aliqua re septum, ne Oesophagum tangeret, alias sua acrimonia nimis lædebat: contigit tamen, vt Iuuenis 18. annorum idsumeret, & masticaret: vnde alius bene quidem purgata fuit; sed oesophagus, & os ventriculi ita læsa, & inflammata, vt febre excitata continua, & leni, siti magna, lassitudine, animi deliquo, & inappetentia, ac deglutiendi difficultate. 9. die resolutus obierit. vt scripsi epist. x. decadis primæ. & lib. de rariorib. plantis horti Farnesiani. Similis quædam maligna contrarietas mihi videtur reperiri in Chrysopo. nam aliquoties dedi. 8. vel 10. grana cum conferua rosarum. quo purgatio sine vlla quidem molestia processit; sed conquerebantur solum de faucium, & gulæ acrimonia, calore, & siccitate, & quasdam lassitudines, & fastidia oris ventriculi patiebantur. & hæc sunt vitia, quæ Chrysopo obijci possunt, quæ confirmavit Io. Hartman disput. 9. in fine scribens. *Gummi Chatthaïem Picrocolis inimicum, & ventriculo, vix propinari tuto licet, nisi prius cum spiritu vitrioli corrigatur.* concludam, quia euacuat serositates, sitim excitare, & gulam siccare, quia acredinem habet, fauces mordere ventriculi lassitudinem parere a contrarietate resolvente spiritus infitos eius particulæ.

*Correctio Chrysopi. cap. 9,*

**A**D corrigenda nocumenta Chrysopi varie auctores laborarunt nos non pigebit cuiusq; præparationem, & correctionem transcribere. Libauio quidem videbatur Scammonij vires habere, & eandem correctionem illi conuenire, censebat. Reudenus puluerem Gummi guttæ

*Ricinus  
nocuus,*

*nocumen  
ta Chry-  
sopi.*

*corrigen  
tia Chri-  
sopi.*

miscbat cum semuncia conserue rosarum, aliquando aspersis spiritus vitrioli guttis tribus. vel in liquore appropriato morbo, aliquando cum extracto Hellebori nigri in pilulas redacto. Mindererus in Aloedario pag. 50. sic corrigebat. *Gummi huiusq. v. dissolue probe spiritu vitrioli in vase vitreato, postea per Alembicum spiritus omnis extrahatur: gummi in vase residens excutitur, cauendo tamen ne nigrescat; sed colorem suum natium reseruet luteum: si dulcius reddi volueris, aqua pluuiali semel, atque iterum abluatur, donec acorem amittat.* addit Horstius. *Manifestum hinc ea propter spiritum vitrioli pro correctiuo concurrere, quo vis vomitua, quam habet, cuius ratione vehementiores perturbationes subsequuntur, sistatur.* Hecstetterus. *Corrigentia eius sunt spiritus Vitrioli, quod & D. Mindererus obseruauit. Oleum Cinnamomi, eius aqua, & syrupus. Quamuis nec hac impedire eiectionem materiae herentis in primis vijs per Vomitus semper possint.* Hartman. P. I. Faber. & alij chimici, censent etiam corrigendum spiritu Vitrioli, quibus ego quoque subscribo, ad tollendam, vel saltem imminuendam facultatem illam prauam officientem Oesophago, & ori Ventriculi, quæ si relaxat Chrysopos, ea spiritus vitrioli densat, & roborat, venenisque obstat.

Cum autem Auctores præscripti, varijs modis exhibuerint Chrysopum laxatiuum, eos etiam transcribemus. Hecstetterus. in scolio. *Quibus facilem vomitum Natura negauit, ijs, & hoc gummi haud conueniet. Quare ut aut vomitum impedirem, aut stomacho adpropriatum magis redderem, exhibui patienti hydropico sic correctum.*

Rx. *Aquæ Betulae.* vnc. iij.

*Spiritus Vitrioli.* gut. iij.

*in hac aqua acida infunde per noctem.*

Spiritus  
Vitrioli.

Hecstet-  
teri cor-  
rectio.

*Rhabarbari electi.* dr. j.

*mane leuiter coletur, & exprimatur, in hac infusione colata dissolue. Gummi laxatiui.* gr. viij.

*Syr. de Cinnamomo.* dr. iij.

*M. F. haustus; a quo materia crassa, tenax, viscosa-  
que per vomitum reiecta fuit, ac serum copiosum de-  
iectum, ita ut iam ab alijs derelictus reuiuisceret.  
fuit autem sepius repetitus haustus hic, interdum  
addidi Brodium laxatiuum Cybebarum ad unciam v-  
nam, & semis, ad grananouem gummi laxatiui, &  
tunc nihil vomuit, solum deiecit serum copiosum ad  
ventris usque depletionem, quibus subiunxi roborantia  
hepar, & sic Deus plures adiecit annos vitæ eius.  
dictum autem Hydropicum idem Hecstetterus in  
Historia, prima vice purgavit infusione Rhabarbari,  
Senæ, Agarici in aqua Betulæ, cuius expresso Gum-  
mi laxatiui. gr. vi. adiecta essent, & correctionis er-  
go syrupi de cinnamomo. dram. iij. egit, & vomitu,  
& deiectione suum officium. Post aliquot dies, exhi-  
buit pulueris Gummi laxatiui. gr. xi. manuschristi cum  
Oleo cinnamomi. scrup. ÷. misce, sumpsit cum Vino,  
a quo deiecit copiosum serum, & pituitosam euomuit  
materiam, tandem purgavit, quod in venis latitabat  
reliquum. extracti cucum. agrestis scrup. ÷. gummi  
laxatiui. gr. ix. cum sy. cinnamomi formentur pilulæ  
ne recidivam pateretur. deinde scribit in Scholio.  
Soleo aliter exhibere, modo in puluere cum uino odorato,  
maluatico, aqua acetosa, aut cum conserua rosarum  
pallidarum, quibus addo spiritum vitrioli; aut cum tabu-  
lis manuschristi cum oleo cinnamomi. modo conficio  
tabulam cum saccharo in aqua acetosa dissoluto, quam  
inungo oleo cinnamomi. modo cum lenienti aliquo sy-  
rupi, aut brodio, cum quibus multum agit, magisque  
aeijcit, exhibeo, rarius cum electiue purgantibus ex-  
cepto Rhabarbaro, sena, infusis. in forma pilulari*

*alia cor-  
rectio,*

parum agere manifeste deprehendi.

Horstius. Hoc sine nostris in officinis Diacidonium lucidum laxativum cum extracto scammonij, & gutta gamandra conficitur, quod minima dosi ad aquas educendas in hydropicis dari solet. sunt qui maxime commendant sequentem preparationem, ubi gutta gamandrae gr. vij. & Troch. Albandal. gr. iiij. additis obei anisi gr. ii. cum saccharo in aqua cinnamomi soluto fit confectio in rotulis, vel morsellis, pro dosi communi, quae ratione non tantum vis purgans versus inferiora dirigitur; sed simul etiam ventriculus corroboratur. & lib. 4. in fine. Diacidonium lucidum purgans cum gutta Gamandra. R. Diacidonij lucidi simpl. lib. i. Gutta Gamandrae preparate cum spiritu vitrioli. dr. vi. m. f. elect. audiamus Reudenum in Apologia. Exhibueram primum in substantia in pulverem redactum cum saccharo crystallino, siue cinnamomo, & caryophyllis. Ut vero vim Emeticam, delicatioribus, & qui non sunt assueti ad vomitum, molestam compefcerem quadantenus mixto cum conserua Rosarum, aut Syrupo de cinnamomo, adpersi unam, aut alteram spiritus vitrioli guttam, bono cum successu. Praescripsi quoque Pharmacopoliis preparationes duas ad usum adseruandas, quibus, Deo fortunante, multum praestiti Schlas Kouualda Bohemorum, in Thermis Carolinis.

R. Santali rubicundissimi. vnc j.  
crassiuscule incide, & affunde triduum, quotidie agitando.

Vini albi. vnc. iiii. vel q. s.

Spiritus vini. vnc. ÷.

Spiritus Tartari. dr. i.

post leuam ebullitionem fortiter exprime, & cola. in colatura dissolue.

Sacchari albiissimi. vnc. ii.

Gummi Gistaiemore. dr. i.

Horstii  
mixtura

*Pul. cinnamomi morsu electi.*

*Caryophyllorum. dr. ̄.*

*Aq Cinnamomi. dr. ij.*

*fiant s. a. Rotulae ponderis consueti.*

*Dosis scrup. iij. scrup. v. ad dr. ij.*

*Signentur Rotulae cathartice.*

*℞. Santali Rubei bene colorati. dr. iij.*

*Passul. minorum. dram. ij.*

*Cinnamomi morsu ele. dram. ij.*

*Gummi Gittaiemou. dram. j.*

*Crassiuscule incisis affunde in vitro capaci angusti orificii Vini albi tenuis. vnc. vj. vel q. s.*

*Spiritus Vitrioli. dr. ̄.*

*Stent bene obturata dies septem integros, & quotidie aliquoties egitentur, deinde bulliant parum, atq; fortiter exprimendo colentur. Colatura addant.*

*Sacchari opt. vnc. iij.*

*reponantur in usum.*

*Signetur Syrupus Carthaginensis Catharticus.*

Modo non pigebit transcribere Preparationem Q. Essentiae P. I. Fabri longam, difficilem, chimericam, & ab ipso auctore, ut reor, numquam confectam. adjiciam tamen ne quid ab alijs scriptum de hoc nouo succo, in hoc tractatulo desideretur. scripsit autem. Ut in essentiam reducatur, hanc observa methodum. sumatur Gutta gamba, libra unica, aut altera, & contusa immitatur in Alembicum ad descensum aptum, & destilletur purissimo igne, adauctis pedetentim ignis gradibus, usque ad combustionem, & incinerationem rei, quae destillatur: post destillationem separabis oleum ab aqua, quod erit in maxima copia, quod succus ille gummosus sit valde, & pinguedine plenus: oleum relictificabis in retorta, cum paucis vitriolo calcinato ad rubedinem, donec empyreuma deponat; hoc oleum seruabis, & coniunges cum sale fixo eiusdem Gutta gam-

P. I. Fabri  
prep.

chymica  
operatio

ba, ex cineribus in distillatione olei factis extracto, & depurato, per solutiones, & calcinationes multoties iteratas: sale, & oleo conseruato, nouum succum eiusdem plantæ habebis ad quantitatem vnciarum sex, aut septem, & dissoluas in phiala uitrea oblongi colli cum spiritu uini alcoholizato, spiritum vitrioli equali quantitate. solutum succum digeres per 15. dies in tepido Balneo, deinde destillabis in eodem balneo, quicquid destillari poterit: tum demum iterum reaffundes spiritum uini destillatum super magma relictum, & digeres, ut optime dissoluatur, per tres, aut quatuor dies, deinde filtro omnia committes, ad depurandum summo opere & destillabis infiltratum in eodem balneo, quicquid destillari poterit, ut prius; tum demum iterum dissolues, & digeres, & filtrabis, & destillabis toties, quoties, magma relictum in fundo alembici feces emit- tet: tunc quiesces, & magma solum uindicatum ab omni uini spiritu dissolues cum succo limonum, & spi- ritu Vitrioli destillatis, & postquam in digestionem per octo, aut quindecim dies digestionem leuem passum fuerit separabis ab eo succum limonum distillatum, & spi- ritum Vitrioli per balneum feruente aqua distillandum, aut per cineres tepidos, donec magma relinquatur in con- sistentia mellis. Hoc magma, quod est extractum con- iunges cum oleo, & sale fixo superiori, & ex his v- num parabis, per digestionem duorum, aut trium die- rum, medicamentum, quod in vasis uitreis seruabis ad usus varios sanitati utiles. Denique Ioa. Colle in Meth. facile parandi med. p. 96. Obiter admonendum, inquit, de hac gumma Indica, quæ hac tempestate in usum reuocatur, bene prius corrigi debere, nimis enim acris. & mordax uiscera, & stomachum lanciat, corriga- tur igitur cum sandalis, spodio, succo rosarum, & hæc omnia reponantur in Vesica suilla, & vesica clauda- tur in malo cotoneo pasta inuoluto, & in furno co-

Io Colle  
prepara-  
tio.

Eto; & hac lege parata tuta, & iucunda erit.

Dosis Chrysopi. cap. 10.

**C**lusius Dosis esse intellexit a xv. ad xx. granorum pondus. Hecstetterus scribit. Dosis nobis non est ea; quæ incolis sinarum regionis; sed multo minor, nimirum à granis iiii. ad xiii. usq; Memini me granis iiii. cum dracmis duabus syrupi de cinnamomo in Hidropico sine molestia, sine torminibus, absq; lypothimia, sine uomitu; dicamne propter uitrioli spiritum, cuius guttam unam addidi, aut propter pauca grana gummi hæreo, euacuasse mensuram unam seri, aut paulo plus felicissime. Ad plura grana non licuit: ob summam debilitatem assurgere. Pueris annorum 4. in asthmate grana tria in Oximelite exhibui, & pituita stertorem hætenus causans reiecta fuit, nec alia nisi uomitus molestia adfuit. consueta dosis in hydro picis fuit. gr. 9. & 11. admodum robustus sit æger, quæ cum aqua Betula, & syrupi domestici, an. unc. ii. exhibeo. sæpius cum solo syrupo de cinnamomo ad dram. ii. In febre Tertianæ Gummi gr. viii. plus minusuè cum syrupi rosati laxatiui uncia una semis, & aqua endiuix q. s. offero. In Ictero gummi gr. vi. addo Rhabarbari dracmæ uni, facio irrorari aqua cinnamomi, & propino, aut in uino Absintii, aut aqua acetosæ, uel alia cichoraceæ. Et ut pituita absterfa ejciatur cum alijs serosis, & biliosis humoribus gummi gr. viii. uel ix. cum tartari cristalli. cremore, & lenitiuo aliquo iungo. Cothurnum haud omnibus pedibus aptum hætenus credidi, sed uel pluribus accommodari posset, procuravi. Reudenius dedit grana. 4. 5. 6. 7. aliquando. 8. Andreas Hildebrandt. grana vii. viii. ix. in iusculo. vel gr. vi. cum scrup. ÷. pill. dedit etiam gr. viii. cum liquore conuenienti. Horstius. huius gr. vii. troc. alhandal. gr. iiii. ol. anifi gr. ii. cum saccharo aqua cinnamomi soluto f. rotulæ pro dosi vna. Libanius Vxori,

Dosis ex Clusio.

ex Hecstettero.

Dosis ex Reuden.

ex Horst.

ex Liba.  
nio.

gr. x. dedit, alijs gr. xii. ex vino cum speciebus Dia-  
galangæ, vel sy. Diacinnamomi, vel cum Theriaca,  
vel pilulis, & alijs. Horstius. *Ante hac summis lau-  
dibus decantavit Illust. saxon. uideus Pharmacopœus,  
VVilibaldus Schatuet, qui illud ad gr. 7. 8. 9. in iuscu-  
lo se foeliciter exhibuisse, interdum etiam gr. 6. cum  
scrup. ÷. pillular. permiscuisse referebat. Semel ego ali-  
cui 8. gr. in liquore conueniente dissoluta dedi, unde  
quater deiecit citra molestiam, & saporem eius,  
quasi terra sigillata fuisse aiebat. P. I. Faber  
dari scripsit. grana iiii. aut vi. sed in-  
tellexit suam Q. E. ego autem  
grana v. 7. & 9. exhibui.  
& 12. etiam.*

P. I. Fa-  
bro.

s(✠)s



F I N I S.



# PROBLEMA

De Lacte in Virginibus.

PETRI CASTELLI  
ROMANI.

Medicinæ Theoricæ Professoris Primarij  
in Messanenſi Gymnaſio, & almi  
Collegij Prioris, & Decani.

*Quæritur an Virgo in mamillis lac habere  
queat.*

*quæſitū.*

**R**espondetur affirmative; quod neq; admira-  
bile, neque rarum est; sed naturale, &  
frequenter accidens; vti ostendam clarissimè  
ratione, auctoritatibus, & experimentis: pro-  
ut temporis breuitas, multaue negotia id mihi per-  
miserint.

*Reſpōſio.*

Experientia quidem, & plurimis historijs constat  
Animalia quædam mascula lac habere, & quæ esse  
prægnantia nequeunt. secundo homines lac in mam-  
mis habuisse relatum est. tertio puellas nuper natas.  
quarto Virgines, de quibus nunc dubitatio est.

*probat  
experi-  
mentis.*

De Animalibus quidem testis erit primus Aristote-  
les. lib. 3. de Hist. animalium cap. 20. scribens.  
*Vbera etiam caprarum, quæ coitum non patiuntur pa-  
stores Montis Oetæ vrtica perfricant vehementer, ut*

Anim a-  
lia ma-  
scula  
lactifera

dolorem infligant. itaque primum cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, postremo lac non minus, quam ex iis, quæ venerem patiuntur. ecce fatetur Arist. Capras sine veneris usu, ac coitu posse lac habere. & statim subdit. *Maribus magna ex parte nec bestiis, nec hominibus gignitur lac; fieri tamen potest ut aliquibus interdum gignatur. nam & in Lemno insula Capro mammas, quas geminas iuxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, ut colostrum inde conficerent. quod idem etiam proli masculæ Capri illius euenisse accepimus.* & rarum quidem hoc; sed verum censuit Aristoteles. Quod confirmat Mattiolus lib. 3. Epist. 26. ad Gasparum Peucerum. addens hoc tam rarum spectaculum non esse, cum vno, & eodem tempore in Boemia diuersis in locis tres Horci reperi fuerint, qui suis ex vberibus lac satis copiosum reddebant. Cælius Calcagninus Epist. quæst. lib. i. in Epist. ad Comitem Thomam Calcag. nepotem testatur catulós duos ex genere quos *ἰχθυράς* Græci vocant .i. indagatores frequenti suctu ex grandioris canis papillis lac euocasse, ita ut non sine magna omnium admiratione matris vice educationis munere perfuncti sint; Vottonus de Hist. Animalium lib. primo cap 30. *Non prægnantibus, inquit; aliquando sed raro, eduliis quibusdam aliisque artibus (ut vberum frictione) efficitur, ut lactescant.* si ars id efficere potest, si vellet sæpe, etiam efficere posset sæpius. id ipsum etiam refert Antonius Torquemada in lib. primo sui Viridarij item Baricellus lib. primo de lacte. cap. 3. M. Donatus de Medica Hist. lib. 6. cap 2. & alij ex quib. constat aliquot Bruta Masculini sexus, quæ vtero gerere nequeunt, lac habere. nec non etiam feminei sexus nullo modo prægnantia, nec coeuntia, (si Arist. credendum) lac effundere copiosum. Vnde sequitur lac in mammis fœminæ repertum, non esse

certum signum pręgnantię . ita vt etiam in virgini-  
bus spectari possit.

Secundo constat homines in mammis lac habuisse,  
& habere posse, ex ipso Aristotele, tum loc. cit. tum  
lib. primo cap. 12, cum enim dixisset *Maribus ma-  
gna ex parte, nec bestiis, nec hominibus gignitur lac,  
fieri tamen potest, vt aliquibus interdum gignatur.*  
indicans, & possibile esse, & non magna ex par-  
te, subdit tamen. *Viris post pubem exiguum non nul-  
lis exprimitur: veruntamen, vel multum prodiisse ali-  
quibus traditum est.* id ipsum affirmant Albertus Ma-  
gnus 3. de Anim. nec non Auicenna lib. 13. de Ani-  
malibus. se vidisse e viro tantum lactis emulctum,  
vt caseus sit confectus, & 13. tertii. tract. 1. cap. 3.  
& pueris, & adultioribus fieri quandoque lac in mam-  
mis. At Hieronimus Eugubius lib. de Lacte, & idem Ba-  
ricellus de Lacte loco cit. scriptum reliquit. *Ego quoque  
vidi aliquando viros, qui in uberibus habebant lac,  
quod exprimendo mittebatur, est autem notum in  
masculis lac non fieri ex sanguine menstruo.* Vesali-  
us lib. 5. de Hum. corp. fab. cap. 18. non semel id se  
conspexisse fatetur. Cardanus. lib. 12. de sub. *Vidi,*  
inquit, *Ianua Antonium Benzius ex Oppido portus  
Mauritii annum agentem trigesimum quartum, palli-  
dum, barba rara, pingui habitu, e cuius mamillis  
lactis tantum profluebat, ut infantem ferme lactare  
potuisset, nec solum effluebat; sed impulsus ferebatur.*  
& Marcellus Donatus. cap. 8. de Variolis, & Mor-  
billis. *ipse hominem uidisse recordor, qui ex mam-  
mis lac in manifesta quantitate mittebat.* Cardanus in  
aph. 37. sect. 5. *lac habent infantes quidam, ut fili-  
us Martini Borghini amici mei, qui dum lac sugabat,  
lac e mammis satis copiosum mittebat.* ita etiam Alexan-  
der Benedictus lib. 3. cap. 4. Anat. scripsit. *M. Mari-  
petrus sacri ordinis equestris Syrum quendam, cui filius*

homines  
lactiferi

copia  
lactis in  
homine.

Syrus lac  
sans filiū

infans mortua coniuge supererat, ubera sæpius admouisse, ut famem filii uagientis frustraret, continuatoque sucu lacte manasse papillam, quo exinde nutritus est, magno totius urbis miraculo. quod miraculum nullum est, cum sæpe accidat alijs hominibus. sic Conradus Schenckius filius. Nouimus, inquit, virum, Præfatum seniore portæ Cupræ dictæ Laurentium VVolf. ciuem Brisacensem, qui ab ipsa iuuentutis ætate ad annum quinquagesimum quintum vsque, quem nunc agit, ambabus mammis, lacte tam copioso abundat, ut per iocum in conuentibus ipsorum, ebrius iam factus, compressis mammis, lac in assidentium e regione faciem extringat, atque eiaculetur, quo nomine quibus vis suis concubibus innotuit, a quibus etiam sæpius, ut alijs demonstret, adhortatur. Neque tamen inde dolorem grauitatem, aut tensionem ullam percipit. Cornelius Gemma lib. primo Cosmocrit. cap. 7. ita scribit. Similiter quoniam pacto maribus tantam, possibile fuerit, lactis copiam, aceruari ut (quemadmodum Alex. Buatus refert) uisi sint, qui, & infantem admotum lactare potuerint. idem affirmat Nicolus se. 7. tract. 1. sum. 2. cap. 39. addemus Fabricium ab aqua pendente lib. 3. Penta teuchij Chirurgici. capi. 13. dicentem. Vt menstrua singulis mensibus prodire solent mulieribus: ita uiris quibusdam redundantia sanguinis, quæ nec per urinam, nec sudores, nec sensibilem transpirationem discuti potest, ad testes confluit, & per lotij meatus excernitur. Hinc viri nonnulli effœminati, & lac gignunt, & purgationes instar muliebrium, ordinata vicissitudine patiuntur in Germania, & Lotharingia. Baricellus addit lib. de Lacte cit. c. 3. Ego quidem in duobus filijs meis in primis diebus à partu obseruaui ab obstetrice mamillas constrictas, lac impulsu (magno multorum stupore) emisisse, idque in alijs etiam infantibus conspexi. sed mirari magis desinemus si audiuerimus hominibus in India

picruli  
lactiferi

frequentissime euenire. siquidem fatetur And. Laurentius Anatom. lib. 9. quæst. 2. *Narrant, inquit, qui nouum orbem lustrarunt, viros pene omnes maximam lactis copiam habere. si itaque Viri lac generant, multo magis virgines, & mulieres, quæ non conceperunt. Earum enim mammae rariores sunt amplioresque, & his copiosissimus sanguis superfluit.* quod confirmat Renuardus Cysatus de insula Iaponiæ, &c. Germanicè editus, & ait. *Apud Cumucaiam Brasilianorum gentem viri tam amplis mammis lacte turgentibus præditi sunt, ut infantibus lactandis alendisque sufficiant; mulieribus eorum, paruis contra virilibusque mammis donatis. nec iure dicere possunt Laurentius, Baricellus, & Mercurialis. non esse lac verum, quia si nutrit, ut lac: eius vires habet, ac vsum; habebit quoque essentiam, & formam. Quare si lac reperitur in hominibus, & pueris nuper natis sine prægnantiæ suspitione. poterit facilius in muliere non prægnante, & in virgine.*

Si quæretis exempla, aderit Bodinus Theatri Natur. lib. 3. pag. 429. qui; *Infans, inquit, cum auiam vetulam siccissimam, mortua matre, sugeret, tandem lac mulsit eoque nutritus est abunde in oppido Hami Veromanduorum. & equidem alias vetulas 60. annorum inspexi è quarum mammis lac fluebat, sed decolor ad citrinum, & viride tendens. Ioach. autem Camerarius apud Schenckium, Infans inquit, siue puelle quadam, filia mei affinis primæstris bene alioqui valens, inquieta tamen, & clamosa, a me diligenter inspecta, in ea tandem deprehendi mamillas tumidiores & non nihil rubicundas, quæ si parum præmerentur, lac quoddam aquosum emittebant. Durauit hic affectus per aliquot menses, & ab eo postea liberata recte se habuit.* Papè quid a longe quæro externas fides, si copiose habemus hic Messanæ? D. Angela tertio genita filia Illustrissimi Baronis D. Palmerij de Ioanne

in India  
Viri lactantes.

responsio  
obiectioni.

Vetula  
lactans.

Puellarum  
mamillæ  
lactescen-  
tes.

Mœcenatis mei benignissimi, & generis, & vitæ, ac morum splendore præclarissimi, Senatorisq; dignissimi a natiuitate vsque ad decimum mensem lacte mammas ita turgidas habebat, vt nisi sæpe lac expressum fuisset, dolorem inferret. cum autem sit hoc verissimum, quid vtrò quæremus? sed præterea Alex. Benedictus. lib. 3. cap. 4. Anatom. Vidimus, ait, mulierem etiam cum Virgo esset, cui quoniam infecunda erat, menses substitute- rant, lacte semper diffluxisse. nec reticendum est Christ. a Vega testimonium 5. aph. com. 39. vidimus, scribens, puellam Brugensem, cui mensibus suppressis lac mammas inerat. Medicus vero cui res fuit commissa (accusabatur enim ab hero) constantissime affirma- bat ipsam grauidam esse, quam ego coram hero, & alijs defendi, fieri posse dicens, vt lac habeat mulier ex sola mensium retentione, citra conceptionem. Tem- pore tamen nouem mensium transacto, manifestè con- stitit mulierem honeste uixisse, & Virginem esse, cui aliquibus post diebus menses profluxerunt. Baricellus in Hortulo Geniali. & lib. de lacte. cap. 4. quædam mulier, scribit, nomine Victoria, cui cessauerant Men- ses anno 45. & fausta ualetudine uixit, cum autem se- xagesimum ferè annum attingeret, ecce illi menses rubei, boniq; coloris rediere, uberaque, quæ prius flaccida erant, nstæ uirginum, turgidula facta sunt, lactisque tanta copia impleta, ut impulsu ferretur.

Constat igitur ex plurimis testibus oculatis lac in Mammis non esse certum signum prægnantiæ. quia & vetulæ, & puellæ, & infantes, nedum maturæ Vir- gines, lac in mammis habere queunt, item homines & animalia mascula.

Modo probandum est id auctoritate magnorum Vi- rorum id asserentium, inter quos primo loco est Ve- tustissimus Medicinæ Parens Hippocrates Aphorismo- rum sect. v. Aphor. 29. Si Mulier neque prægnans

Virgines  
lactifera  
es.

Vetula  
Maria.

conclusio

probat  
auctori-  
tate.

neq; puerpera lac habet (γάλα ἔχει) huic menstrua defecerunt. cui fidus interpres Galenus subscribit in com. his verbis. *fit autem, & tale raro, quandoque cum mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint venæ repletionem, ex menstruorum retentione, cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit. & 6. de loc. aff. cap. 5. ante finem. hunc aph. probat. quem aph. etiam C. Celsus lib. 2. cap. 8. probauit. Quare frequens est Vtero gerentem, atque enixam lac habere, rarum autem Virgines, & quæ non præpererunt, nec grauidæ sunt, non tamen impossibile, & inauditum, nec admirabile. Ideo Hipp. interpretes huic sententiæ subscribunt, tamquam verissimæ, ut Philotheus Græcus interpres Si igitur non digerant (scilicet menstrua) & hoc fiat (scilicet ut lac sit in mammis) non existente conceptu, omnino menses suppressi sunt. item Oribasius. Quam sine conceptu lac sit in mammis, significatur, quod propter aliquam operationem, pars sanguinis, quæ ad uterum deferrebat ad mamillas dirigitur. id ipsum postea Confirmarunt Vgo Senensis in commento, nec non Brasauolus, qui verum lac esse censuit ex mensibus suppressis, & subdit. in puellis verò, quæ non diu aptæ sunt viro ante pubertatem, aquositas quedam mammas egreditur, quam, & nos frequenter puerorum mammas exire vidimus. Fuchsius in commento confirmans veritatem Aphorism. hæc verba posteritati propagauit. Porro hæc Hipp. sententia, & ijs etiam, qui cum imperio sunt, notissima esse debet, ne scilicet de innocentibus puellis, quæ nonnunquam cædis infantium propter lactis in mammis generationem falso accusantur, temere supplicium sumant. Chist. a Vega in commento. fit autem, quamuis raro, simili tamen ratione, mensibus suppressis ob causam præter naturam, morbosam, ut sanguis delatus ad mammas, coquatur, & in lac transeat, in quibus vera est, & ex-*

Hippocratis.

Galenus.

C. Celsus  
Philothæus.

Cribasij.

Vgonis  
Brasauolus.

Fuchsij.

a Vega.

perimento probata Hipp. sententia, non enim pepererunt, neque conceperunt, quoniam tamen lac habent significat, quod eis menses defecerunt, ob mensium igitur defectum, siue suppressionem fit, citra conceptionem, & partum, ut lac habeant. Marinellus in commento conatur etiam huius causam ex Arist. ostendere. Triue-rius in commento. aliquando vel in virginibus non minus, quam in corruptis; sed non dum matribus, menses vbera distendunt, ac lac produnt. & Valescus in cōmento. Cum sine gravitate uteri sanguis ad mammas regurgitauerit ut cum alijs occasionibus menstrua supprimuntur, lac fiet: neque his solum; sed, & vi-ri nonnunquam crassioribus, & plenioribus solet fieri. Cardanus in commento. Virgines quoque, inquit, cum ad masculinam naturam semen earum accedat, ubi menses retineantur, concoquunt sanguinem, & edulcant: atq: ob id cum exitu careat, trahitur, ut dixi, à mammis similitudine substantiæ, & euadit perfectum lac. tandem in fine commenti concludit. Vtui est hic aphorismus. quia maritus reuertens ex longa peregrinatione, posset uxorem, ut moecham, infentem tamen occidere, prohibetur hac admonitione. Hoc exemplum semel vidisse tantum memini. idem confirmant alij commentatores Hipp. quos omnes transcribere superfluum. approbant etiam alij auctores hunc aphorismum, ut Syluius commento de mensibus mulierum. dum agit de signis. Mereatus 4. de Morb. Mul. cap. 17. Mercurialis de M. mul. lib. 3. de vitijs lactis cap. primo, & in com. Aphorismi. Baricellus lib. de lacte cap. 4. Andr. Laur. Anatom. lib. 9. quæst. 2. & alij. Medicis addemus Aristotelis testimonium. 3. de Hist. An. cap. 20. Nam pregnantibus aliquando; sed raro edulij quibusdam efficitur, ut lactescant. etiam quibusdam mulieribus natu maioribus suctu frequentiore lac prodijt, & copia tanta, ut infantem enutrire potuerint.

Mari-  
nelii.

Triuerij.

Valesc.

Syluius.  
Merca-  
tus  
Mercuri-  
alis.  
Baricell.  
A Lau-  
rentius.  
Aristote-  
les.

Obijcies fortasse . Cordeus in primo de Mor. mul. com. 6. tex. 11. dictum Hipp. Aphor. explicat de muliere, quæ iam consuetudine viri fruitur, non de Virgine.

R. id gratis dici, quia nemo id dixit. secundo dico, si ita stricte intelligeretur Aphor. esset incertus: nam in muliere coniugata si deficerent menstrua, & lac haberet, omnino vtero gerere diceremus. nec possemus scire an lac gignatur a grauidatione, vel retentione mensium. quare dicendum omnino, loqui Hipp. de Virginib. & ijs, quæ viro nō vtuntur, in quib. non est suspicio fetus.

Obiicietis secundo Arist. 3. de Hist. An. cap. 20. Nulli, inquit, *ferè animalium lac fit, antequam vterum gerat.*

Confirmatur ex Hipp. de Nat. pueri. *Vbi peperit mulier principio motus iam facto lac fertur ad mammas si lactauerit.* dixerat etiam. *Ab vtero ad mammas lac accedit, quod post partum infanti cessurum est in alimentum.* præterea primo de M. Mul. de Molæ signis agens, ait, in mammis lac non generari.

Probatur quia si lac est nutrimentum infantis, vel debet esse, vel fuisse in vtero, alias frustra id gigneretur & extra tempus.

Patet etiam, quia And. Laur. & Baricellus ex professo hanc quæstionem tractantes conantur concordare Hipp. & Aristotelem dicendo. Verum lac gigni in Vtero gerentib. & puerperis. falsum suppressis mensibus.

Respondebimus non esse contradictionem inter hos magnos viros. & Arist. desumpsisse etiam ab Hipp. talem doctrinam, quare dicendum Arist. loqui de ijs, q; passim, & communiter fiunt. Hipp. vero de ijs. quæ raro contingunt. contingūt tamen, vt ex Historijs relatis clarum apparet. & quod talis fuerit Arist. sententia innotescit ex ipsius verbis supra citatis. nonnè dixit *Maribus magna ex parte non gigni lac, fieri tamen potest, vt aliquib. interdum gignatur?* sic etiam nonne scripsit. *Vbera caprarum, quæ coitum non patiuntur pastores fricare, sic lac*

Obiectio.

Respon-  
sio.

Obiectio.

confirma-  
tio.

probatio-

R'spōsio

conciliā.  
inr Hip  
p & A-  
rist.

gigni non minus, quam ex ijs, quæ Venerem patiuntur ne igitur sibi met cōtra dicat Arist. cōsideranda ipsius verba. *ὡς γίνεταί δέ γάλα πρὶν μή ἐγκυον γένεταί, ἔσθ' ἐν τῶν ζώων.* Theodorus vertit. *Nulli ferè animalium lac fieri solet antequam Vterum ferat.* si igitur ferè, non simpliciter nulli; sed vt plurimum. verum textus habet, *non gignitur autem lac prius quam fiat prægnaus, nulli animalium.* quare dicendum non simpliciter voluisse, nullum Animal ante prægnaus, lac obtinere. sed vt plurimum. quod clarissimè ipsemet explicat, mox subdēns. *Non prægnaus aliquando, sed raro, edulij quibusdam efficitur, vt lactescant. etiam quibusdam mulieribus nam maioribus suctu frequentiore lac prodit, & copia tanta, vt infantem enutrire potuerint.* inde narrat quomodo Capræ, quæ coitum non patiuntur, lac generent. quo constat non esse vniuersalem negatiuam propositionem allatam, cum Arist. ipse doceat, aliquando contrarium accidere. male igitur huic textui adhærent Laurentius, & Baricellus, pro vniuersali negatiua sumentes.

Ad Hipp dico. nec contra nos, nec contra se ipsum esse, quia in aph. loquitur de lacte ex suppressis mensibus, & lib. de Nat. pueri. docet, cur in conceptu, nec non post partum lac ad mammas feratur. diuersi sunt casus.

In Mola autem non apparet in Mammis lac, quia vterus prægnaus affectus est, nec potest gigni lac, ratione fœtus alendi, qui non est. nec ob defectum menstruorum, quia mola in vtero existente, non adest bonus sanguis, qui ad Mammas delatus in lac verti queat.

Ad probationem R. vt generatur in hominibus, in infantib. in vetulis, sine præsētia fœtus (nisi ab extra) quod frustra genitum non dicimus, quia naturæ gignentis scopum non percipimus. ita etiam si in Virginibus apparuerit, non debet dici genitum frustra, eo quod non

Vera interpretatio Arist.

explicatur Hipp.

ubi Mola, non lac.

Solutio probatio nis.

intelligamus nos intentum naturæ, quæ nihil frustra molitur.

Denique dicemus Laurentium, & Baricellum deceptos esse, vt qui imaginati fuerint, lac prægnantium, & enixarum verum esse lac, alimentosum, & laudabile. in non prægnantibus autem, album quidem; sed nec chymum, nec dulcedinem, nec vires alimentum obtinere. itaque colore tantum suo, non Viribus, nec forma specifica, lactis nomen mereri, cum tenue sit, & dilutissimum, ad alendum omnino ineptum. quæ omnia gratis dicta sunt imaginatione tantum, & contra aliorum sententias, & Historias allatas, quibus innotuit optimum lac, & alimentosum apparuisse in masculis, atq; etiam in non prægnantibus famellis capris. in hominibus quibusdam, & de facto etiam in Verula citata. de lacte in mammis infantium non disputo, quod aquosius visum fuerit. præterea omnes Hipp. interpretes sentiunt ipsum senem intellexisse verum lac, eo in Aphorismo. Quare nihil obstat, quin clarissimorum philosophorum, & Medicorum opinione, & auctoritate certum sit, quod lac in Virginibus apparere queat sine veneris usu.

Modo id ipsum ratione probandum restat, materiam, efficientem, modum, & finem demonstrando.

De materia lactis conueniunt Peripatetici, & Galenici, cum quibus modo loquar (licet Hipp. ex ciborum, & potuum succo fieri dixerit, vt nos alibi clare explicauimus, & notauimus) esse sanguinem. nam Philosophus 4. de gener. An. cap. 8. eadem (inquit) materia est, quæ alit, & ex qua generationem natura constituit, eaque sanguineus humor in sanguinem habentibus est; lac .n. sanguis concoctus est, Galenus vero primo de sanit. tuenda cap. 7. *Sanguine*, ait, *dum adhuc in utero gestamur alios constat, ex sanguine vero lac gignitur paucissimam in mamillis mutationem adeptum.* eiusdem

error Baricelli.

contrariū patet

probatur ratione.

à Materia.

*lac ex  
sanguine*

sunt sententiæ Oribasius 6. aph. 11. Auicenna lib. 3. fen. 12. tract. i. cap. i. item Auega, Fuchsius, Vgo senensis, Triuerius, & Valesius 5. aph. com. 40. item de sacra Philosophia. 45. nec non Andernacus com. j. dialogo. 6. Cardanus lib. de Alimento lect. 59. tex. 66. Eustachius Rudius lib. primo. cap. 44. Io. Hucher. lib. 3. de steril. Ludou. Mercatus lib. 4. de m. mul. cap. 16. Petrus Salius 4. de morbis 32. Mercurialis de morb. puer. lib. j. cap. 3. Rodericus à Castro de Nat. mul. lib. 4. cap 9. Stephanus Rodericus castrensis lib. de sero cap. primo, & alij innumerabiles.

*ab Vtero  
lac.*

Nec simpliciter ex sanguine lac fieri isti dixerunt; sed ex illo sanguine, qui solet ad vterum ferri, & per ipsum quolibet mense euacuari, vnde nomen suscipit Mensium. inde maxima societas conspicitur vteri, & mammarum, Cum sint etiã ductus per quos ab vtero sanguis fertur ad mammas, & a mammis lac ad Vterum regurgitet: quod patet quia, ex Arist. 4. de gen. An. cap. 8. fluentibus mensibus non gignitur lac. *nec lactantibus fiunt purgationes secundum naturam, neq; lactantes concipiunt, & si conceperint, lac extingitur; quoniam eadem lactis & menstruorum natura est, natura autem non tam large profundere potest, ut anceps sit, sed si alterutram in partem secer nitur, in alteram desit necesse est.* Hipp. verò lib. de Nat. puer. num. 21. Venas esse dixit ab vtero ad mammas. Deinde Gal. ait. de venæ sect. aduer. Eras. c. 5. *Vna, & lactis, & menstruorum substantia est, amborumque ut quisque dixerit riuorum fontes communes venæ sunt. Quamobrem quibuscunque per etatem menses fluere cessarunt, his neque in mamillis lac amplius colligitur: quacunque etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea lactant, hæ non purgantur. Præterea cum mulieri lactanti sanguis per locos eruperit illico lac huic euanesce.*

*Materia  
lactis, &  
mensium  
eadem.*

Ex quibus innotescit materiam lactis, & menstruorum

esse sanguinem, qui per vterum exiens, menstruum dicitur; per mammas, lac. non mirum igitur si copioso; existente in corpore sanguine qui per vterum euacuar deberet, si regurgitauerint ad mammas verti in lac, & suppressis mensib. apparere lac. quod accidere facile potest, non modo in ijs, quæ alias pepererunt; sed etiam in Virginibus. vt defacto multoties accidisse in Virginibus ex Historijs relatis constat.

Lactis efficiens causa a Gal. in commento præcitati Aph. docetur. scripsit. n. Hoc quidem commune esse omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtilis generare, aut partibus alijs, aut ad conceptus nutritionem esse humorem illum quandam velati superfluitatem partis ipsius generantis. ipsa autem pars potentijs regitur naturalib. tum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilatur alimentum sibi ipsi. Quantum igitur Alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisitè assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam, superfluum vero derelictum, similis quidem nature partis humor existit. sunt autem, & quidam in mammis adenes vim habentes id, id quod ad eos influat alterandi. Cum vero hi sint exangues, & albi proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, quando plus alimenti deferatur ad ipsos. Plus vero deferatur octauo, & non mense conceptionis, quando abundanter oppletæ sunt communes venæ mammarum, & vteri, sicut in animalium prægnantium resectionibus manifeste conspicitur. fit autem, & tale raro. quandoq; cum mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint venæ repletionem, ex menstruorum retentione, cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit. hætenus Gal. ex cuius verbis elicitur; idem agens, quod in prægnantibus lac gignit etiam in Virginibus id ipsum efficere posse. agit enim secundum copiam materiæ existentis in mammis:

*Lactis  
efficiens*

*lac a po-  
tentia  
alterati-  
ua.*

*ab eodē  
agente  
lac in  
Virgine  
& in præ-  
gnante.*

Menstrui  
materia  
ad mam-  
mas.

ad Ven-  
triculum

ad caput

ad pul-  
monem.

ad arti-  
culos.

contra  
Carda-  
num.

vnde quotiescunque cessantibus mensibus sanguis flu-  
xerit ad mammas, si harum virtus fuerit valida, in  
lac vertetur, si vero inualida, vt assimulare nequeat,  
& sub sanguinis forma remaneat. sequenti Aphoris-  
mo subdit Hipp. *Quibuscumque mulieribus ad mammas  
sanguis colligitur, furorem significat.* si ergo men-  
strui materia feratur ab Vtero, ad mammas extra-  
tempora conceptus, vel sanguis cum sua forma rema-  
net, vel in lac vertitur. vtrunque raro fit, ratio est  
quia raro sanguis extra conceptum fertur ad mammas;  
sed ad alias partes, quocumque tamen peruenerit ali-  
quid noui parit. vnde si petierit Ventriculum vom-  
itu reicitur: hinc Hipp. 5. aph. 32. *Mulier sanguinem  
euimenti, mensuris erumpentibus, solutio.* quandoq;  
autem petit caput. ideo altero aph. 33. subdit. *Men-  
struis deficientibus, sanguis ex naribus fluens; bonum.*  
quandoq; ab vtero ad pulmonem procedunt, & affe-  
ctus Tabi similes pariunt. primo de Morb. Mul. 6. sic  
etiam si delata fuerint ad articulos, podagram causant.  
vnde 6. aph. 29. *Mulier non laborat podagra, nisi men-  
ses ipsi defecerint & secundo præd. num. 14. minime  
superstites manent, & virgines, & mulieres, qui-  
bus ex suppressis mensibus Tabes oborta est.* similia  
multa alia apud Hipp. exempla leguntur, demonstnan-  
tia sanguinem ab vtero ferri in diuersas corporis par-  
tis, si forte in mammas regurgitauerit copiose, ijs va-  
lidis existentibus in lac couertitur, & quia hoc non  
admodum frequenter fit, Cardanus com. aph. 37. o-  
pinatur, non ex sola sanguinis redundantia ob mensium  
retentionem hoc fieri, velut Galenus, credit, quia  
frequenter hoc contingeret, sed oportere adesse vim  
validam testiculorum in fœminis, & imbecillem in  
masculis, ad hoc vt horum mammae lac conficiant  
dicto tempore. At ego validam esse vim Mammarum  
concoctricem censeo: quia Gal. adenibus in mammis

lactis generandi facultatem tribuit, non testibus, nisi dixerit Card. spiritum quendam a mulierum testib. deferri ad mammas, quo viuificata sanguinem in lac vertunt, alias non: nonnumquam .n. per Māmas menstruus sanguis exisse visus fuit. refert. n. Cordeus com. 6. in primum de Morb. Mul. tex. 11. Mulierem, cui menstrua per mammae sinistrae papillam mensibus singulis tanta copia profluebant, vt quatuor, aut quinq; lintea inquinaret, & addit, si è circumiectis mammae venulis, huc sanguis conflueret, ibi tum moram quoque trahens coaceruaretur, vnde tumescerent solummodo mammae eiusce sanguinis praesentia copiaque: nempe in modum, & proportionem partium totius corporis reliquarum, quae sanguine nimis copioso quidem satiatae manent. At in hac Hypotesi menstruorum instar confertim sanguis vacuatur è mammis, & liberaliter, ideoque tunc minime lactescit, vt solet nutricibus, in quibus commoratur sanguis tantisper in mammis, & vtero, aut potius in interiectis inter illa venis volutatur, & circulari motu mouetur, dum ipse quidem lactis colorem induat, atque naturam. & his concludam satis constare, quod nihil prohibet, quin idem efficiens, eadem s. facultas alteratrix, quae sanguinem ad mammas delatum in Vtero gerentibus, & puerperis in lac vertit; atque eadem in Viris, & recens natis puellis lac procreat ex eodem sanguine ibidem existente. vel etiam in vetulis per suctum, & confricationem attracto. constare etiam, aio, in Virginibus quoque ex mensibus retentis, sanguine ad Mammas fluente, & ibi alterato, verum lac gigni posse.

Quo autem modo in nostro Casu .s. In Virginibus, & alijs sine coitu lac in mammis gignatur perbelle vt cætera exactissimus Hipp. docet secundo de M. Mul. num. 23. *Vbi vero uteri conclusi fuerint menses sursum ad mammas delegare, & ad pectus ascendere facit; intus*

*mēstrua  
per mas  
mas exe  
untia.*

*ab eand  
causalat  
in vni  
in pra  
gnante  
in puel  
lis, & in  
Virgini  
bus.*

*genera  
tio lactis  
sine coi  
tu.*

intume-  
scere Vē  
rem sine  
coitu.

altera la-  
tis ge-  
neratio.

finis ge-  
neratio-  
nis lactis  
priuatus

publicus

preter  
naturam

venter attollitur, & inexperta in ventre se habere putant, talia enim patiuntur qualia pregnantēs, usq; ad septem, aut octo menses, & venter pro temporis ratione crescit, & pectora eleuantur, & lac innasci videtur. Quum autem hoc tempus praterierit, & mammae gracilescunt, ac minores fiunt, & venter idem perpetitur, & lac euanescit. Venter item eo tempore, in quo se parituram sperabat, euanescit, ac concidit. hic est vnus modus generationis lactis sine coitu. ex quo innotescit, ex retentione mensium non modo generari lac in mammis; verum etiam intumescere ventrem, vt vtero gerere omnino appareat: inde omnia euanescere, & falsam fuisse grauidationem. alter modus est, quum sine ventris tumore sang. ab vtero expulsus ad mammas ibi concoquitur, & in lac vertitur sine tumore ventris, alioue symptomate, nisi fortasse aliquo signo internarum obstructionum. quo autem pacto ex cibis, & potib. quæ sunt in ventriculo gignatur lac, vt docuit Hipp. non est hic locus demonstrandi. sed alibi Senis sententiam probauimus.

Deniq; finis debet considerari ratione cuius moueatur nat. ad generandum lac. Naturalis finis duplex censetur esse causa, alter priuatus, alter publicus. priuatus quidem est mammarum nutritio ex lacte enim nutrirī asserunt, publicus vero est fœtus nutritio; sed finem præternaturam vocabimus, cum in infantulis, in hominibus, in vetulis, & puellis Virginibus lac apparet, ex menstruorum defectu. equidem non possum assignare nisi finem pariter duplicem. tum vt ex copioso sanguine fluxu adens ipsi nutriantur, tum vt nutrimentum fœtui paret: hinc homines, & vetulas absque coitu pueros lactasse, retulimus, vero, & optimo lacte; nam inepta est distinctio in verum, & non verum lac, si enim habet colorem, saporem, & odorem lactis, nec non etiam nutriendi facultatem, cur

non poterit dici verum lac? aptius distinguetur, in magis, & minus perfectum, magis, & minus ferosum, careosum, vel butyrosus, ut distinguuntur ouillum, caprinum, bubulum, suillum, asininum, camelinum, humanum, &c. dicemus ergo in infantibus lac esse ferosum, quia parum concoctum in eorum mammis. in Masculis, quandoque nimis tenue, quandoq; crassius & alendo aptum. in Vetulis vero, & Virginib. & defloratis, & Capreis absque coitu ad alendum aptum gignitur, unde verum lac. *& lac non minus, quam ex ijs, quæ venerem patiantur.* ut docet Arist. lib. 3. de Hist. An. cap. 20. verum quidem est, quod idem scripsit ibidem. *nec dum uterum ferunt utile omne est; sed primum nouissimumque inutile.* quicquid igitur in mammis forma lactis apparet, lactis essentiam, & usum habere dicimus, & cum ex Hipp. l. de Alimento. lac sit redundantia Alimenti. dicimus genitum esse lac à Nat. per primam intentionem, ut nutrantur mammæ, hæc n. sibi parant nutrimentum, & si multum præparauerint, plusquam egeant ad sui nutritionem, tunc rectè dicitur Alimenti redundantia, quæ redundantia sine incommodo naturæ, ut excrementum utile, (excrementum nutritionis Mammæ, utile pueri nutritioni) potest in alium usum trahi, ut secundus finis naturæ sit foetus nutritio, ad quem finem in prægnantib. lac copiosum generat vniuersalis natura, quæ anima mundi cum Platone in timeo dici posset, ut nos in libello nostro de Anima Macrocosmi diximus. particularis verò sibi tantum parat, ut in Cæteris non prægnantibus; hinc concludimus lac in Virginibus, & infantibus gigni, ut nutrantur ipse Mammæ. & si mat. superabundauerit etiam nutrimentum supererit, & præcopia lacte mamme turgebunt. nec alium finem natura particularis in his habere potest, nisi (ut dixi toties) sibi affi-

*differe  
119 lactis*

*prima  
causa  
lactis.*

*anima  
mundi.  
Platonis*

*conclusio*

milare omne, quod confluit vtile.

Et ex his patent causæ omnes propter quas Natura possit, & soleat lac copiosum in mammis virginum gignere, probatumque id manifestissime ratione, auctoritate, exemplis. vnde nullum remanet

dubium, quin intactæ virgines lac in mammis habere queant, falsumque illud

dictum *lac habet, ergo corrupta.*

& de his satis pro  
veritate.



**F I N I S.**

